



V
B
J
C

SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI HISTORIA ET MIRACVLA.

Quæ in Ecclesia Posnaniensi Ordinis S. MARIÆ Carmelitarum, Diuina bonitas operatur.

Studio & Labore THOMÆ TRETERI Posnanien. CVSTODIS & Canonici Varmien. ex antiquis M.S. libris, & maiorum traditione, fideliter collecta.

Et


Æneis Typis per Blasiu Treterum Vic. Varmien. illustrata.

ANNO DOMINI. M.DCIX.



In Stemma & Insignia

ILLVSTRISSIMI DOMINI EPISCOPI POSNANIENSIS.



EPIGRAMMA.

DIscipulum pius Andream sibi iunxit IESVS,
Ut caperet populos imbueretq́ꝫ Fide:
Nunc idem Andreæ Nauim concessit auitam,
Quæ Varthæ vitreas tuta pererrat aquas.
Est captura patens: igitur duc Præsul in altum.
Turbabit studium nulla procella, tuum.

T. T. C. C. V.



ILLVSTRISS.^mo ET REVERENDISS.^mo IN CHRISTO PATRI ET DOMINO.

D. ANDREAE OPALIENSKI DE BNIN D. G. EPISCOPO POSNANIENSI.

Tho. Treterus Custos & Canon: Varm:

S. P. D.



Vmprimùm celebri omnium fama & sermonibus, vbiq; pro clamatum esset. Illust. & Reuer. D. Tuam, Diuina vocatione, ad gubernacula Posnaniensis Ecclesiæ promotam, inter plurimos alios, qũi tibi honestisimè cupiũt, ego quoque tantam ànimo voluptatem concepi, quanta nulla verborum vi & oratione explicari potest. Videbam enim te in hoc amplisimo dignitatis gradu constituto, Ecclesiæ Posnanieñ. & Ciuitati, quæ mihi patria est, optimè consultum qui ad iuuandas in ea, Sacrosanctæ relligionis Catholicæ rationes, ijs præsidijs optimè instructus esses, quæ ad obeundum Episcopale munus, maximè requiruntur. Videbam pru-

dentis & optimi Senatoris partes, quibus concussus & perturbatus Regni Poloniæ status, fulciri, & subleuari posset. Videbam singularia, in Rempubl. & patriam merita, quæ ætate non adeò prouecta, in obeundis cum laude grauissimis legationibus, viam tibi ad capessendas dignitates aperirent. Videbam insuper & insignia, illustris & antiquissimæ familiæ tuæ decora, quæ proprias animi tui virtutes, & dignas viro principe dotes, auctoritate maiestateq; sua, splendidiores & imprimis suspiciendas, omnium oculis obijcerent. His diligentius mecũ consideratis, non mediocri desiderio tenebar, vt tantam hanc felicitatem, tibi Præsul amplissime, per litteras gratularer, & debitam meam obseruantiam, qua te mirificè semper colûi, in memoriam reuocarẽ. Sed duo propositũ hoc meum maximè retardabant. Nempè debilitas mea senilis, quæ in tantam congratulantium frequentiam, ne colliderctùr, immittere se temerè non audebat; & quòd nullum munus esset in promptu; sine quo in conspectu Domini apparere, indignum videbatur. Itaq; cùm non ignorarem, seram quoque gratulationem, à magnatibus viris, reprehendi non solere, tantisper ab officio supersedendum existimaui, dum illius occasio magis idonea mihi sese offerret. Addebat animum, & insignis illa tua erga me comitas & humanitas, qua me, cum vnâ Romæ versaremur, vltra omne meritũ meum, singulari quodam studio complectebare. Vndè facilè mihi persuadebam, te potius animi mei ala-

critatem

ctitatem & sinceritatem; quàm externi cultus significationem, quæ in oculos tantum incurreret, pro innata tibi bonitate, suscepturum. Nunc autem, Præsul Illustrissime, sublatis illis duabus, circa gratulandi tarditatem, caussis, ad te debita cum veneratione propius accedo: tibique sublimem hunc, quem in Ecclesia Dei & in Rep. locum obtines, ita gratulor, vt magis ex animo non possim. Vtq; gratulatio hæc mea tibi sit acceptior, offero Tuæ Amplitudini, recens in lucem à me editum munus, Historiam, videlicet, & miracula Sacratissimi Corporis Christi, quæ in Ecclesia Corporis eiusdem, Conuentus Posnaniensis, ordinis Carmelitarum, quotidie diuinitus exhibentur; de cuius dignitate commemorare hic nonnulla libet. Tanta est Diuinæ bonitatis in genus humanum beneficentia; vt nulla pars in orbe Christiano reperiatur, quæ non habeat impressa gratiæ Saluatoris vestigia, quibus homines à terrenis ad cœlestia attolli & eleuari possint. Et in alijs quidem regionibus, sunt loca sancta, vel Gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ, vel Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Sanctarũ Virginum, aut viuificæ Crucis titulis coruscantia, ad quæ tanquam ad gratiæ Diuinæ fontes, homines in ærumnis & necessitatibus suis, pro remedijs confugere debeant. In hac verò Ciuitate Posnaniensi, cuius te Illustriss: Domine, pastorem & Episcopum Dominus constituit, miraculum omnium miraculorum maximum, & celeberrimum viuifici Corporis Christi ex-

 tat

tat monimentum: quod ingenti hominum concursu, ob diuinas consolationes, assidue frequentatur. Quamobrem cùm adhuc adolescens essem; & locum hunc sanctissimum libenter accedebam, & cum Patribus Carmelitis, de mirabilibus quæ in hac basilica fierent sæpissimè conferebam, cupiens mihi aliquando commoditatem dari, qua scriptis qualibuscunque meis loci huius maiestatem, pro modulo meo illustrare possem. Sed longa mea fere viginti quinque annorum in vrbe Roma, commoratio, facultatem scriptionis huius mihi eripiebat, quæ præsentia & obseruationibus assiduis indigebat. Feci tamen & absens quæ in eum finem maxime spectabant; & Historiam, ac rei totius seriem, decem tabellis æneis insculptam, quasi pro arrha futuri operis, ad augustissimum hoc templum transmisi. Reuersus in patriam, monitis & precibus Venerabilium Patrum Carmelitarum, cum quibus non parua mihi consuetudo intercedit, adductus; id quod reliquum erat laboris, ad maiorem DEI gloriam, absolui. Diuinitus accidisse proculdubio mihi persuadeo, vt libellus hic numeris omnibus absolutus, sub felici nominis tui auspicio in publicum prodiret; quem non minus ego, qui virtutum tuarum sum admirator, & preco; quam ipse quoque insignis Carmelitarum ordo, qui te mirificè colit & veneratur Illustrissimæ

Cel-

Celsitudini tuæ humillime offert & dedicat. Habebis hic, vnde Zelum Catholicæ religionis, quo flagras, in te magis ac magis suscitare, & murum te pro domo Dei aduersus illos opponere valeas, qui omnem Christi beneficiorum memoriam, cum puluisculo, quod aiunt, è terris sublatam cupiant. Habebis etiam vnde, spirituales delicias in suo fonte degustes; quæ ab ipso Sacræ Eucharistiæ Sacramento, cum omnium gratiarum plenitudine, proueniunt: vires ad ardua quæque, pro Ecclesiæ populorumque tibi subiectorum salute, aggredienda subministrant; & homines à terrenis rebus abstractos, ad cælestia erigunt. Veneratio autem, quanta templo tantis diuinæ gratiæ priuilegijs instructo, debetur, non est cur multis insinuare sit necesse. Nosti ipsemet, Antistes Illustrissime, quicunq; Reges, Duces, Principes, Episcopi, magnates ad Ciuitatem Posnaniensem accedunt, hic primos gressus figere, redemptionis nostræ pignus adorare, rerum gerendarum felices exitus precari: & vota ac oblationes, pro sua quemq; deuotioni, Deo & ministris eius, in humilitate spiritus offerre. Quod vel hoc maximè tempore fieri conueniens esset, quo refrigescente Charitate multorum, locus tam celebris cultu ac splendore, inclyta vero Carmelitarum congregatio quę sub patrocinio Sanctissimę Deiparę, templo huic deseruit, rebus etiam ad competentem sustentationẽ neces-

necessarijs destituitur. Sed facies tu proculdubiò, pro muneris tui ratione, vt benignam eorum considerationem ad animum reuoces, qui pro tua, & temporali & æterna illa felicitate, supplices manus ad Deum, in sancto Altaris sacrificio, semper attollunt. Ad me porrò quod attinet, quantum te, Præsul Illust. in visceribus meis habeam, nemini magis esse notum arbitror, quàm mihimet ipsi. Quicquid obsequij & seruitutis, quantum per senilem & ingrauescentem ætatem meam fieri potest, Amplitudini tuæ, impendere potero, nihil vnquam certè fecero libentius. Commendo me gratiæ & beneuolentiæ Illust. & Reueren. Dñis Tuæ, Deumq; precor, vt te pro salute ouicularũ tuarũ excubante & vigilante, pacem habeam⁹; eos qui per errores à fide aberrarunt, ad vnitatem reuersos videamus, mores tam spiritualium quã seculariũ ad verę pietatis normam compositos, intueamur: vtq; Sancti & optimi illius Antecessoris tui Andreæ de Bnin exemplo, qui triginta octo & amplius annis Ecclesiæ Posnanieñ. laudabiliter præfuit, tu quoq; diutissimè huic Diœcesi & Regno commodes, vt pro temporalibus infulis, Cœlestis gloriæ coronam percipere valeas. Datum apud Ecclesiam Varmieñ. in festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virg. Anno Dñi M. DC. IX.

IN

IN HISTORIAM
CORPORIS CHRISTI
Ad Christianum Lectorem
PRAEFATIO.

IMmensa Diuinæ bonitatis & Sapientiæ magnitudo, consueuit plerumq́; , Christiane Lector, pro Catholicæ fidei dilatatione & augmento, potentiæ suæ maiestatem declarare, per eiusmodi miracula, quæ humanæ intelligentiæ captum, longè superant. Hæc tamen non ideò oculis nostris obijcit & repræsentat, vt eorum admiratione, seruilem timorem nobis incutiat, & ad eum accedendi fidutiam eripiat; sed vt potiùs filialem obedientiã & reuerentiam, ad ipsum amandum, qui mirabilis est in omnibus operibus suis, in nobis excitet; vt illi, tanquã supremo rerum omniũ moderatori, seruiamus in iustitia & sanctitate coram ipso, omnibus diebus nostris. Admonet præterea nos humilitatis & infirmitatis nostræ, vt sub dextera potentiæ eius constituti, quantò mirabiliora opera eius conspicimus, tantò nos viliores & abiectiores eruos eius recognoscamus & profiteamur, memores illius quod scriptum est: Videte quòd ego sim solus, & non sit

alius Deus præter me. Ego occidã, & ego viuere faciam percutiam & ego sanabo: & non est qui de manu mea possit eruere. Quoniam autem miracula diuinitus patrata, dantur nobis in signum ineffabilis gloriæ & potentiæ magni Dei & Domini nostri; debemus in id solum omnes vires & intentiones animarum nostrarũ conferre vt illi soli ex toto corde seruiamus, gloriam nominis eius, quantum in nobis situm erit, per omnem occasionem, promoueamus, & Sathanæ incursionibus, Diuino auxilio adiuti, viriliter resistamus. Quæcunq; in vniuerso mũdo creata conspiciuntur; certum & indubitatum est, esse miracula, & signa omnipotentiæ Creatoris & benefactoris nostri: de quibus hoc tempore mihi videtur non esse differendum: vt nec de illis, quæ Israëlitico populo duræ ceruicis, in lege Veteri ad incutiendum terrorem, ne ad Idolorum cultum declinaret. exhibita fuerunt. De his tantum loquemur, quæ Deus omnipotens, in hac visibili & militanti in terris Ecclesia, ad confirmationem Catholicæ fidei, & pioru m mentes in amorem suum inflammandas, ex infinitæ bonitatis & misericordiæ suæ thesauro, producere consueuit. Idq; ea potissimũm de caussa faciendum existimaui, vt fidelium animi, diligentiũs, hæc considerantes, ad dilectionem Dei, & sinceram illi seruitutem exhibendam, excitari & commoueri possint. Exemplum sumere licebit, ex ipsis factis & conuersatione Saluatoris nostri, qui non adeò facilè nec vitæ innocentia, nec tot admonitionibus, & laboribus, quos in mũdo pertulit, Iudæos & gentiles, ad agnitionem veritatis

am-

amplectendam, perduxisset; nisi coram illis signa & miracula plurima edidisset, quæ illum veri Dei filium fuisse comprobarent. Quamobrem & in Ecclesia Catholica, id obseruari voluit, vt qui in relligione Sacrosancta, fidei stabilitate propter diuersas inimici tentationes contineri non possent, eorum infirmitas, miraculorum frequẽtia fulciretur; & omni dubitatione seposita, in eius professionis constantia, in qua Christo nomina dederunt, permanere, & ex incredulitatis caligine emergere valerẽt. Vsitatum est hominibus, quoties aliquid fieri vidẽt, quod ratione comprehendere non possunt, id ad omnipotentiam & singularem ordinationem Diuinam referre. Non desunt etiam miracula, quæ præstigijs & artibus Dæmonũ ad decipiendos hominum animos fiunt: quæ plerumq; vel falsa sunt, vel si vera, ex permissione Diuina, non ex illorum potestate, proueniũt. Dicet aliquis, apud noui Euãgelij sectatores, nulla conspici miracula, & illos in erroribus suis obstinato animo perseuerare, ac Ecclesiã sponsam Christi, quæ Spiritu Sancto regitur & sanctificatur, machinis omnibus oppugnare. Vel hoc vnico argumento, facilè demonstrari potest, eorum doctrinam, nullo veritatis fundamento niti, quandoquidem Deus vnitatis & concordiæ auctor, nullis eos clarere miraculis permittit; quos Schismatis & Hæreseos parens Dæmon, perpetuis, circa articulos fidei, dissensionibus & iurgijs, vexat, & miserè ad inferos præcipitat. Si quis tamen attentius, nostri huius æui, percurrat Historias, inueniet scilicet, & Hæreticos miracula edidisse, qualia Lutherus

in expellendo Dæmone, vt scribit Staphylus, & Caluin⁹ in resuscitando mortuo Bruleone fecit: quibus impostura eorum, omnibus, qui ratione vtuntur, detecta est. Refert & aliud miraculum, Lindanus in Dubitantio, cuiusdam ministri, qui in finibus Poloniæ & Hungariæ Anno 1558. excitare voluit hominem, nomine Matthæum, cui persuaserat, vt se mortuum fingeret. Et reuera mortuum effecit. Recte igitur Tertullianus in Libro de Præscript. scribit se talium hominum maximam virtutem agnoscere, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Jlli enim de mortuis suscitabant; isti de viuis mortuos faciunt. Miraculorum itaq; gloriam in sola Ecclesia CHRISTVS Dominus florere voluit, vt illorum consideratione fideles in fidei constantia confirmarentur; & Hæretici vel ab erroribus reuocarentur, vel inspirationibus diuinis, & medijs ad salutem propositis, per obstinationem reiectis, amplius excæcarentur. Jd ex eo liquet, quòd cùm non nisi carnalia sapiant, ea quæ spiritualia sunt, nihil ducunt; & excusso sanctæ matris Ecclesiæ obedientiæ iugo, viam quæ ducit ad perditionem, & latißimè patet, studiosè consectantur, nec ad puram, si dijs placet, eorum fidem, miraculis se egere stolidissimè affirmant. Spem præterea quandam informem, in meritis, paßione & morte Christi, superba præsumptione, collocantes; omnia Pænitentiæ & satisfactionis opera, quæ Sacramentis Ecclesiasticis, legitimè à Spiritu Sancto institutis, continentur, plane reijciunt, & contemnunt. Libenter & nos fatemur, & certò credimus,

Christum

Christum Dominum per obedientiam, paßionem, & mortem acerbißimam, pro peccatis, non tantum nostris, sed & totius mundi DEO Patri ita satisfecisse, vt mortis nostræ chyrographum, illud cruci affigiens, perpetuò deleuerit. Nec tamen nos ideò securos & ignauos esse conuenit; vt sub Capite crucifixo, in sola tantum fide confidentes, delicatuli in hoc mundo viuere & carni fræna relaxare debeamus: sed potius, quandoquidem agnus ille innocens, peccatorum nostrorum grauitatem, pro nobis in suo corpore portauit; nos quoq; tanquam membra ipsius, mortificatione membrorum nostrorum adhibita, pro delictis nostris quotidianis, satisfactionis operibus insistere studeamus. Hinc igitur in Ecclesia, ad carnem in officio continendam, salubriter sunt instituta, ieiunia, orationes eleemosinæ, Confeßio, Eucharistiæ frequentatio, disciplinæ, peregrinationes ad loca sancta, quæ miraculis cœlitus illustrata, summi Pontifices, ex thesauro meritorum Christi & Sanctorum eius, pro indita sibi potestate, Indulgentiis locupletarunt: vt fideles, infirmitatis suæ conscij, ad hæc cœlestia præsidia confugientes, & Diuinā misericordiam implorantes, peccatorum veniam obtinere valeant. Certum enim est Diuinæ bonitati, nostra bona pœnitentiæ opera, esse acceptißima; quæ à sincero in Deum omnium bonorum auctorem, amore; & erga proximum charitate proficiscuntur. Si quis aliquid faciat in gratiam alicuius, qui minus animo grato illa suscipiat, dubium non est, quin studium illius pro nihilo reputetur. Sed vbi quis animi sui significationem, qua summa po-

test promptitudine, exhibet homini gratitudinis virtute præstanti, proculdubiò non in vanum ille laborat, immò facit, vt non solùm benefacta irremunerata non remaneant; sed maiori etiam lucro, & beneficentia cumulentur. Hæc in eum finem dicuntur, vt homines vanis Hæreticorum persuasionibus reiectis, ad producendos dignos Pœnitentiæ fructus excitentur. Nam si Christus Dominus, in sola meritorum passionis suæ satisfactione, nos contentos esse debere docuisset; nunquam Pœnitentiæ Sacramentum instituisset; & Apostolis eorumq; successoribus ac legitimè in Ecclesia Ordinatis Sacerdotibus, potestatem ligandi & soluendi peccata aliorum, reliquisset. Facessant igitur nouatores isti, cum suis præposteris & falsis opinionibus. Nos verò tanquam obedientes matris Ecclesiæ filij, Deum in operibus suis mirabilem prædicantes, miraculis pro rerum, temporum, & personarum qualitate, humano generi exhibitis, ad eum laudandum, cum debita gratiarum actione, magis ac magis inflammemur; loca sacra, quæ Diuina bonitas euidentibus gratiæ suæ donis illustrauit, per quæ hominibus eum in veritate inuocantibus, beneficia amplissima largitur, summa cum deuotione, frequentemus. Vota suscepta, & promissiones, cum omni humilitate & alacritate, Domino reddamus; sacerdotes & religiosos qui in ministerio Dei versantur, honoremus; & eleëmosinarũ largitione, eorum necessitatib⁹ benignè subueniamus. Nulla orbis pars reperitur, in qua particularia quædam loca, Deo dicata non inueniantur, quæ pro beneficio hominum, singularibus

curatio-

curationum priuilegijs non insigniantur. Inter quæ, & tu nobilissima Posnaniensis ciuitas, propter hanc celeberrimam Corporis Christi memoriam, non vltimum locum obtines. Grata ergo tanti beneficij præ cæteris esse debes; quandoquidem quod exteri per magnas corporis & deuotionis exercitationes; cum non paruo valetudinis & rei familiaris incommodo, huc veniendo consectantur; tu præ foribus & in ipso limine in promptu habes: vt non immeritò, cæteris in pietate facem præferre & exemplo pœnitẽtiæ ac bonæ operationis, antistare debeas. Quod si ab aliquibus, minus diligenter præstari videmus; id eorũ vel supina negligentia, quibus quotidiana vilescunt, vel etiam ignorantia minus excusabili, quibus sacræ huius Basilicæ fundatio, & miraculi Historia, cognita non est, fieri, ambigi non potest. Ad errorem igitur hunc eliminandum, & loci Sacri huius reuerentiam insinuandam, Historiam ipsam, prout se in veritate habet, apponendã hic existimauimus, vt pius lector habeat, vnde Spiritualem consolationem reportet; & abyssum iudiciorum DEI *qui suis locis & temporibus, humano generi ad salutem remedia semper subministrare non cessat, deuotè admiretur; & ea contemplando, ad profectum animæ suæ, conuertat.*




HISTO-



lego;
ƺ ter-
a ex-
titiꝫ

Historia

pred sl5.C



A

AFFIGVRATIO Tabernaculi (Monstrantiam Vocant) SS.mi Sacramenti, Ecclæ F. Carmelitarum Posnanien: quod Vnius, plus minus Vlnæ, altitudine, & auro Arabico purissimo, pulcherrimo artificio factum, conspicit.

B

Circulus aureus Chrystallo inductus, in quo tres Hostiæ minores consecratæ asservantur, & ad adorationem populo proponuntur, ac in supplicationibus publicis defferuntur.

Ad Laude, et Gloria DEI Optis, Blas: Froter, Calle Varmien Dic: sculpsit, An Dni 1609.

Historia

preed slw. C


HISTORIA.




Erfida Iudæorum gens, quemadmodum ſub veteri lege, Deo, qui maximis eos beneficijs, ad ſibi parendum & ſeruiendum ſemper inducebat, inobediens & refractaria extitit;

titit; ita sub lege gratiæ, filio eius vnigenito, Christo Saluatori & vero Messiæ, per tot oracula illis promisso, in mundum venienti, & maxima gratiæ dona deferenti, contrariam se adeò exhibuit, vt eo per summum scelus & inuidiam, in crucem acto, post eius Resurrectionem & gloriosam in cœlos Ascensionem, discipulos eius & nascentem Ecclesiam, insatiabili odio & canina rabie, persequi nunquam destiterit, eo maximè consilio, vt redemptionis humanæ perpetuis memoriam tenebris inuolueret, & è terra penitus exterminaret. Quæ cùm in augustissimo Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento, plurimum emineat; in illud infernale virus suum effundere nunquã intermisit: cuius rei exempla, quãuis in varijs orbis Christiani partibus reperiantur, in Ciuitate tamen Posnanien. quæ maioris poloniæ metropolis & caput est, facinus horrendũ Iudæorum nequitia designatum, clarius emicat, quã vt vllis Sathanæ machinis, obscurari & deleri possit. Nã Anno Domini 1399. Iudæorũ Rabbini, Diabolico spiritu inducti, vias & rationes omnes peruestigare cœperunt, quibus diuinissimam Sacramenti hostiam, in potestatẽ suã redigere possent. Nec eorũ conatibus, pater Diabolus defuit; qui pauperem mulierem Christianam, vnicam filiam habentem, & laboribus suis sustentare se non valentem, persuasionibus suis induxit, vt operam suam Iudæis Posnaniensibus addiceret, qui rei familiaris inopiam, largitionibus copiosioribus subleuare facilè possent. Cum itaq; in eorum domesticis obsequijs versaretur, successu temporis, serpentis tortuosi astutia instructi, desiderium consequendæ Sacratissimæ hostiæ illi aperuerunt, verborum blanditijs, humanitate, spe amplioris sustentationis animum illius allicientes, vt eis hac in parte gratificaretur. Rem se occultissimè habituros. O quàm leuis res est; egens & lucri cupida mulier? Diuini timoris & Christianæ professionis oblita, Infelix Iudæ proditoris filia, recepta ab illis pecunia, promisit se voluntati eorum satisfacturam, & rei conficiendæ, idoneum tempus obseruaturam. Hinc intelligi datur, quanto se periculo Christiani exponant, qui in Iudæorum obsequijs contra Sacrorum Canonum edicta, versari pro nihilo ducunt.





Sacrilega mulier, è Vicina Prædicatorũ Eccla. tres SS. Eucharistiæ Hostias surripit. Diuinitus percutitur, à filia extracta, ad Iudæos defertur.

CVm scelus pridem conceptum, impia mulier, ad effectum deducere constituisset, re cum filia communicata, ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum ordinis S. Dominici, quæ plateæ Iudæorum adiacet, accessit; ipso Assumptionis Beatissimæ Virginis die, quo frequentior populus ad celebrandas Christiparæ laudes, confluebat. Ibi peractis officijs Diuinis, cum quilibet hora prãdij ad sua se recipisset, in quodam Ecclesiæ angulo abscondita delituit, dum valuæ clauderentur, & Fratres ad Refectorium se contulissent.

Tandem omnibus diligenter perlustratis, filia veluti in custodia relicta, gradu titubante, deuenit ad locum vbi Diuinissimum Sacramentum asseruabatur; & tabernaculi fores per vim auellere conata, in terram corruit, quasi Diuinitus admonita, ne tam ingens flagitium attentaret. Verùm nec eo casu deterrita, maligno spiritu stimulante, secundo dictam Tabernaculi portam reserare conabatur, irrito successu. Nam iterum in terram collapsa fuit. Malitia tamen & auaritia stimulante, tertiò ibidem accessit, & non tam suis viribus, quàm Diuina quadam permissione, vt maior inde gloria Domini in Ecclesia propagaretur, ostium ciborij aperuit & pyxide, Venerabilis Sacramenti, accepta, & tribus inde hostijs minoribus, quales Communicantibus dari solent, extractis, pyxide reposita, ostiolum Tabernaculi clausit, & Sacrilegis manibus hostias Sacratissimas in linteolum album reposuit, ac terrore quodam conturbata, & languore repentino concussa, à filia in locum occultiorem deducta & protracta fuit: vbi tam diu delitiuit, dum Ecclesia aperta, & populo ad vespertinas laudes conueniente, discedendi ex Ecclesia opportunitas illi concederetur. O miram diuinæ bonitatis & patientiæ Longanimitatem, quæ sicut in I E S V Saluatore tum maximè enituit, cum à Iuda, & sceleratis Iudæorum ministris in horto capiendus, ad vocem ore suo sanctissimo prolatam, totam illam hominum perditorum cohortem, in terram prostrauit; vt se voluntariè in manus peccatorum traderet; ita & hanc Sacrilegam mulierem cùm spiritu oris sui ad nihilum redigere potuisset, passus tamen est se impuris & sordidissimis eius manibus, capi & contrectari; ac Iudæis tandem perfidis, qui exspectatione huius rei vehementer detinebantur, ad illudendum tradi. Exceperunt illi maximo cum applausu illud summum nostræ salutis pignus, & mulieris impiæ detestabilem operam collaudarunt, ac dimissam honorario non exiguo cumularunt.



Rabbini



Iudæi tres Sacræ communionis particulas cultris perfodiunt è quibus copiosus cruor emanat. Iudæa mulier cæca ibidem illuminat.[2] 3

RAbbini tanti facinoris architecti, conuocatis primoribus Iudæorum, vt rabiē aduersus Christi corpus diu iam ante conceptam, tutius & facilius exprōmere possent; se ad domum lateritiam conferentes, quæ inter Iudæorum mansiones posita, ad nobilem Swidwarum familiam pertinebat, in locum subterraneum seu cellarium descenderunt; vbi mensa ad columnam quæ comcamerationem cellarij sustinebat, apposita, in eam tres hostiæ Sacratissimæ particulas proiecerunt: Vnus autem ex eis, Diabolico furore

 percitus

percitus, cultro vnam hostiam persodit, ex qua Sacratissimus cruor erumpens, perditissimi latronis illius faciem copiosè respersit, illiq; ita fortiter adhæsit, vt nullis artibus ablui vel detergi nunquam potuerit. Huius exemplum cæteri Iudæorum sequuti; alias itidem hostias, crebris pugionum ictibus percutiebant, inconditis clamoribus, blasphemijs, & improperijs, Dei filium lacerantes, & se veros patrum suorum imitatores & Israelitas proclamantes. Nam quemadmodum illi sanguine Christi profundendo exsatiari non poterant; idem eos nunc etiam facere, & in opprobrium Nazareni columnam, parietes, & pauimentum, Cameræ, perfundere. Extant eius rei, in hunc vsq; diem, in eodem loco signa & vestigia, quæ magnam admirationem & venerationem intuentibus inducunt, & piorum mentes, ad reddendas Christo redemptori, debitas gratiarum actiones mirificè prouocant; quod non solum, tempore passionis suæ amarissimæ, sanguinem copiosum, in ara Crucis pro salute humani generis effundere voluerit, verum etiam ad confirmandam fidei Catholicæ veritatem, & confutandas, Iudæorum, paganorum, & Hæreticorum blasphemias, in Venerabili quoq; sacri Altaris Sacramento, verum eius sanguinem contineri, tam celebri miraculo, comprobauerit. Crescente magis ac magis Iudæorum ad illud spectaculum concursu ac vociferationibus, mulier Hebræa, quæ ab ipsa natiuitate cœca fuerat, eo se deduci iussit; cùmq; caussam exquireret, quinam essent ij clamores, & Iudæorum & Rabbinorum tanta exultatio, quæ per vicinas ædes personaret? Dictũ illi fuit Christianorum Deum, à Iudæis magnis opprobrijs, maxima cum omnium Israelitarum voluptate affici: & experimentum capere, an in pane illo quem Christiani adorant, verum corpus & Sanguis eius habeatur. Hoc audito, illa se recolligens, ac ad mentalem orationem conuersa, Si tu es inquit, Christe, veri Dei verus filius, quem maiores nostri crucifixerunt, & moderni primores ac rabbini nostri, probationem virtutis & potentiæ tuæ quęrunt, illumina tenebras oculorum meorum, & fac me videre lumen cœli, vt glorificare valeam nomen sanctum tuum. Vix ea in abdito mẽtis sinu conceperat; ecce subitò, cæcitate depulsa, sibi vsum oculorũ, Christi beneficio donatum sentiens, in publicum viæ, ducem non requirens, sese proripuit: & palàm profiteri non erubuit, Christum esse Deum, per quem beneficium videndæ lucis percepisset. Tua hæc sunt IESV Saluator miracula, qui muliere cœca pro Apostola vsus, obstinatam Iudæorum cæcitatem palàm argueres, & potentiæ tuæ magnitudinem, per illam, cunctis populis notiorem redderes. Non illud mira-

culo

culo caruit, quod in mulierem hanc quæ publicè virtutem Domini extollebat, nihil ab impijs Iudæis attentatum fuit: qui re iam in apertum prolata, plus de sua vita conseruanda, quàm de supplicijs ex Iudæa sumendis, cogitare ab illo tempore cœperunt; omnesq; machinas ingenij & astutiæ suæ adhibebant, vt factum hoc, quod in sanguinis ex venerabili Sacramento eruptione, & mulieris huius illuminatione, ad notitiam multorum perueniebat, & gloriam Saluatoris illustrabat, aliqua ratione deleri & obliterari, per sceleratos illos posset. Sed non est consilium aduersus Dominum.




Iudæi miraculo territi, extra ciuitatem SS. Eucharistiã in paludibus demergere frustra conantur. In itinere languido eleemosinam præbent, qui illico sanatur. Agonizans reuiuiscens, MESSIAM transijsse conclamat. 4

Hebræi

HEbræi postquam viderunt, facinoris perpetrati notitiam ad plurimos dimanare, & periculum non leue sibi creari, cùm omnia media pertentassent, quibus Sacratissimas hostias in nihilum redigerent (nam in ignem, & in sordes & in puteos proijciebantur; in quibus tamen nulla confossionis & macularum signa apparebãt, sed integræ species & candor eminebat) hoc præ cæteris alijs consilium amplexi sunt, vt duo ex Antesignanis, extra vrbem progressi, vbi prata & paludes erant, in illas Venerabile Sacramentum demergerent, & luto obruerent. Qui ad portã Ciuitatis, quæ tunc Castrensis apellabatur, peruenientes; à claudo & contractione membrorum miserè vexato paupere Christiano interpellari, vt ei eleemosynam, in nomine Dei viuentis tribuerent; simul vt ei nummos aliquot obtulerunt, repente integram corporis sanitatem recepit. Id enim intra se tacitè Iudæi cogitabant, si Deus ille viuens esset, cuius corpus linteolo inuolutum deferebant vt is claudus amissum gressus officium, hac experientia recuperaret. Progredientes verò longius, per vicum qui Stelmachorum vocatur, in ædibus quibusdam æger iam in extremo agone constitutus, veluti è graui somno excitatus, lecto se proripuit, & Christum saluatorem præterijsse, & sibi sanitatem restituisse clamabat, Iudæis interim in obstinatione permanentibus: qui cum ad eum locum peruenissent, vbi nunc insignis Christi corporis Ecclesia ædificata conspicitur (tunc autem non nisi paludes & pascua Ciuitatis erant) duabus perticis, cespitem eruentes, in foueam illam Sacratissimum Sacramentum proiecerunt atq; ita abierunt, existimantes se officio suo præclarè functos. Extat in eadem Ecclesia, locus crate ferrea tectus, in quo scelerati Iudæi, Diuinum illum Thesaurum, sordidis manibus primùm deposuerunt; ad quem multi cum certa fide, & debita veneratione accedentes à varijs infirmitatibus curantur. Iudæi autem quid? Nec miraculis, quæ in deportatione Sacramenti oculis suis conspexerunt, nec remorsu conscientiæ admoniti, in sua cœcitate permanserunt, & contribulibus suis, veritatem rei occultantes, persuadere non cessarunt; quicquid hac in re actum esset, non ad potentiam Christi crucifixi, sed ad præstigias quasdam esse referendum. Proinde gentem Christianorum, maiore deinceps odio prosequi meminissent & in Conuersione ad eorum fidem, tanquam surdæ aspides, perpetuò aures obturarent.

Quod


SS. Hostiæ super paludes eleuantur, à Paulo puero adorantur, iumentis itidem genua flectentibus. Bubulcus pueri pater superueniens stupet. 5


QVod olim apud Isaiam, de populo Israëlitico, Dominus coquestus est, se ab illo sperni, cognoscere bouem possessorem suum, & asinum præsepe Domini sui; Israëlem autem eum non cognoscere, & populum suum non intelligere; id de hac scelerata Iudæorum progenie & hoc loco, dici recte potest. Nam Rabbini illi nequam, Venerabili Sacramento, in lutum demerso, quasi triumphantes in vrbem redierunt, nullam de perpetrato tam atroci crimine, doloris aut perturbationis alicuius significationem exhibentes. Deus autem ad Isai. 1.

arguendam incredulitatem & obstinationem ipsorum, non multò post iumenta excitauit, quæ honorem Diuinæ maiestati conuenientem deferrent. Nam die Dominica, infra Octauas Assumptionis Beatissimæ Virginis, bubulcus, qui pascendorum ciuitatis iumentorum curam habebat, assumpto secum puerulo Paulo ad pascua illa, in quibus Venerabile Sacramentum delitescebat, boues perduxit: & relicto pro custodia eorum filio, ipse propter audienda officia Diuina, in Ciuitatem reuersus est. Ecce autem post discessum illius, tres illæ hostiæ in altum eleuatæ, volitare in aëre cœperunt, instar candidissimorum papilionum, idq; trina vice factum puerulus aduertit; cumq; iumenta etiã in genua procubuissent, & Dei præsentiam adorarent, ipse quoq; idem fecit. Pastori é Ciuitate reuerso, narrat ea quæ viderat filius qui à leuitate puerili, ea prouenire ratus, fidem dictis adhibere neglexit. Non ita magno temporis interuallo currente, vidit & ipse pastor, boues in genua procumbere & tali signo, superuolitantibus super paludes hostijs, cultum adorationis exhibere. Quo miraculo obstupefactus, relicto ibidem puerulo, ipse ad Ciuitatem perrexit. Ecce igitur in detestationem Iudaici facinoris, boues cognouerunt possessorem suum. De asino verò præsepe Domini cognoscente, & Sacrosanctam Eucharistiam adorante, memoriæ proditum est, in vita S. Antonij de padua Christi confessoris, qui cùm in partibus Tolosanis, cum perfidissimo quodam Hæresis architecto, disputationem acerrimam habuisset, de præsentia corporis Christi in Eucharistia, & Hæreticus vim argumentorum tolerare non posset; Missa faciamus, inquit, verba, & ad res veniamus. Si tu miraculo testatum efficere potueris, in Eucharistia verum haberi corpus Christi, ceruices meas Catholicæ fidei iugo submittam. Cui Sanctus; Confido in Christo Saluatore, me pro tui & aliorum conuersione, id quod postulas, ab eius misericordia impetraturum. Tum Hæreticus; Ego iumentum quoddam triduana inedia macerabo; tuq; stabis ex aduerso cum tuo illo, vt dicis Corpore Domini. Si iumentum posthabito pabulo suo, properauerit ad adorandum Deum suum, Ecclesiasticæ fidei totus accedam. Assensit ijs vir Dei; & die præfixo, in plateam latissimam populo frequentissimo concurrente, adest vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentia stipatus, nec abest Hæreticus cum nequissima suorũ caterua. Prope aderat Sacellum, in quod vir sanctus ingressus, cum multa deuotione obtulit Missæ Sacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum summa reuerentia gestans Corpus Domini. Producitur è conclaui mulus bene famelicus, congruumq; illi pabulum offertur.

Tum

Tum imperato silentio, vir Dei multa cum fiducia, bruto illi animanti ita dixit: In virtute & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, re vera teneo, tibi præcipio, vt confestim humiliter huc accedas, & eam quam par est, illi præstes reuerentiam, vt hinc perspicuè intelligat peruersitas Hæreticorum, omnem creaturam suo subdi creatori, quem dignitas Sacerdotalis in Altari contrectat. Nec dum Christi seruus dicendi finem fecerat, & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vsq; ad poplites submisso capite accessit, & coram illo viuifico corporis Christi Sacramento, genu curuauit. Mox immenso gaudio exultāt Catholici, Hæretici dolore animi contrahuntur. Hæresiarcha coram omnibus abiurata perfidia, Sanctis Ecclesiæ mandatis deinceps paruit. Cuius exemplum vt nostri quoq; temporis Dubitantij sequi velint, orandus est Deus: & qui Ecclesiæ & Sanctorum Patrum, & Canonum auctoritate ad veritatem amplectandam perduci recusant, saltem brutorum animalium, Creatoris potentiam reuerentium & agnoscentium, magisterio, ad rectum de Augustissimo Eucharistiæ sacramento sensum perduci non ignominiosum sibi esse persuadeant.





Bubulcus Magistratui miraculũ indicat. Vt delirus in carcerem conijcitur. Sponte reclusis portis egreditur, & fidem rei facit, quæ ad Episcopum defertur. 6

PAstor miraculi indicium daturus, ad Consulem & Magistratum ciuitatis accessit, & quæ oculis ipsemet suis vidit, verbis simplicibus exposuit. Sed nulla dictis eius fide adhibita, tanquam delirus reputatur; & quòd cum rebus friuolis interpellare primores ausus esset, in carcerem turris portæ, quæ Vratislauiam ducit, conijci iubetur. Qua in re, quàm incerta sunt hominum iudicia, videre licet. Nam apud magnates, quæ per viles & abiectos homines verissima nũciantur, contemptui habentur. Mendacia verò quæ ab alijs, seculari eloquen-

quentia prædítis, & cultu nitidiore fulgentibus, proponuntur, non adeò magno negotio admittuntur. Quid autem ſequutum eſt? Veritas ipſa qui Deus eſt, pauperis patrocinium ſuſcepit; & ſponte ſua ianuis carceris patefactis, eundem præſidis obtutibus præſentauit, & quæ antea coram illo deſpoſuerat, non aliter ſe habere, ſanctè affirmauit. Iratus conſul, cuſtode carceris aduocato, eundem vehementer obiurgauit, quòd mandatorum ſuorum immemor, captiuum tam citò dimittere veritus non eſſet. Cuſtos qui claues carceris apud ſe haberet, & ianuam, clauſtris & repagulis optimè munitam videret, aſſerebat ſe officio ſuo non defuiſſe. Bubulcus autem perſanctè iurabat, abſq; aliqua machinatione ſua, valuas turris apertas, Spiritus illi addidiſſe, vt pro veritate comprobanda, denuo magiſtratum adire, quicquid tandem de illo futurum eſſet, non dubitaret. Motus ea nouitate conſul, amplius in re tanti momenti deliberare cœpit, & adiunctis aliquot Senatorij ordinis viris, accerſito etiam Præpoſito Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Magdalenæ, ad locum illum acceſſit; vbi rei veritate comperta, paſtorem liberè abire permiſit, & ſtupore tanti miraculi permotus, quid amplius faciendum eſſet, ad frequentiorem ſenatum retulit. Sic Deus quæ prudentibus huius ſeculi videntur impoſſibilia, paruulis & humilibus reuelare conſueuit; vt maior inde gloria Diuini nominis eluceſcat, vtq; auctoritas humana, Diuinæ potentiæ virtutẽ, vel inuita agnoſcat & veneretur.



MAgistratus ciuitatis, postquam de miraculi veritate certam & indubitatam notitiam accepisset, vna cum Parocho, ad Episcopum, qui in Curia suæ Cathedræ residebat [hunc nonnulli Stanislaum Cyolek fuisse volunt, Sed annorum computatio



Episcopus cum clero ad prata descendit. Ioannes præsbyter senex. Sacratissi. Hostias apprehendit, quas Episcopus summa ceremonia Vrbi importat. 7

repugnat, quandoquidem Anno 1428 Episcopatum adeptus fuit. Probabilius est Albertum II dictum Iastrzembiec, qui Anno 1399 ad Episcopatũ euectus fuit, Ecclesiæ Posnanien. gubernacula tenuisse] accessit: eidemq; pluribus verbis exposuit, quæ & quanta Deus operatus esset, circa augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod in prato illo

Ciuita-

Ciuitatis ſpectandum ſe publice omnibus exhiberet. Humiliter ab illo poſtulauit, & ad locum ipſemet cum ſuis accedens, Sacratiſſimas hoſtias aufferret, & in loco conuenienti illud reponeret, ad augendam populi deuotionem & Catholicæ fidei confirmationem. Dedit apud ſe locum iuſtis poſtulationibus Epiſcopus, & conuocato Clero vniuerſo, maxima cum dignitate, cum crucibus, vexillis & luminaribus, ad locum proceſſionaliter acceſſit, vbi, poſt factam Diuiniſſimo Sacramento debitam venerationem, Sacerdoti cuidam ſeniculo, & opinione ſanctitatis celebri, qui Ioannes Riczywol vocabatur, iniunxit, vt propius ad paludes accedens manibus hoſtias Venerabiles exciperet, & ad ſe adſerret. Fecit imperata Presbyter obediens, & ſine mora, diuinitus in manus ſuas illapſas ſanctæ communionis particulas, ſtupore plenus vidit; quas Epiſcopo cum ſumma reuerentia tradidit. Quanta lætitia piorum mentes Diuini beneficij magnitudo, tunc temporis affecerit, non difficulter quiuis conijcere poteſt. Perſonabant in turribus Eccleſiarum campanæ, Sacerdotes Dei laudes concinebant; frondibus, & varij generis floribus, platearum viæ exornabantur & ſternebantur. Populus lachrymis & ſingultibus gratiarum actiones ingeminans, temporum ſuorum felicitatem teſtabatur. Cum tanta igitur ſolennitate, proceſſionem illam abſoluit Epiſcopus, & in Eccleſia Parochiali ſacras illas hoſtias depoſuit, dũ quid agendum deinceps eſſet, maturius deliberaret. Publica hæc lætitia, plurimũ ſolicitudinis & timoris Iudæis perfidis incutiebat; cum rem quam in contemptum Chriſti & religionis, inſtruxerant, in maiorem Dei gloriam & Chriſtianitatis propagationem redundare viderent.



Sacro



Sacrā Eucharistia è pluribus Ecclesijs ad eum locum in quem à Iudæis proiecta fuerat remigrante, Episcopus ibidem Sacellum ad tempus ædificat. 8


SAcro pignore in Parochiali Ecclesia deposito, hominum studia in diuersas partes scindebantur. Nam Episcopus cumprimis conueniens esse iudicabat, vt in Cathedrali, quæ cæterarum Ecclesiarū caput esset, collocaretur. Fratres Ordinis Prædicatorum, asserebant, templo suo sacras hostias inferri debere, ex quo per summum sacrilegium, furto ablatæ essent. Magistratus verò contendebat, in Parochiali relinquendas esse, quandoquidem in fundo Ciuitatis, inuentæ,

Diui-

Diuina quadam ordinatione, fuiſſent. Sed Venerabile Sacramentum, quod eſt ſignum Vnitatis & vinculum charitatis, controuerſias eiuſmodi mirabili prouidentia compoſuit. Nam etſi in Parochiali clauſo tabernaculo, diligenter cuſtodiretur, in loco tamen Inuentionis, ſi quid de Translatione in alias Ecclefias attentaretur, ſemper ſpectandum ſe exhibuit. Vnde conſiderans prudens Epiſcopus, vt in illo eodem loco, cultus Sacroſanctæ Euchariſtiæ à fidelibus exhiberetur, in quo à perfidis Iudæis, contemptui fuerat expoſita, ad maiorem Dei gloriam, ceſpite eruto, & loco purgato, Sacellum pro tempore erigendum curauit ad quod Chriſti fideles, accedentes, diuinæ gratiæ conſolationes reportarent. Hæc exigua initia, maioribus incrementis deinceps ianuam, vt ex ijs quæ dicentur liquebit, aperuerunt.



FAma miraculorum indies magis ac magis percrebrescente, ingens populi sexus vtriusq; concursus, non solùm ex Polonia, sed ex circumuicinis prouincijs, ad sacrum hunc locum, confluebat: vnde Diuinæ gratiæ beneficia & amplissimas consolationes reporta-



Vladislaus Jagello Poloniæ Rex, Voto ob incolumitatem Regis facto, ibidem Basilicã in honorem Corporis Christi construit, & Carmelitas in ea collocat. 9

bat. Videre erat, in tanta hominum multitudine & varietate, Dei laudes concordibus votis, subindè crescere, eius misericordiam vbique prædicari, qua afflictorum miserias, immensa Charitate, subleuabat. Quoniam autem loci sacri angustia, non æqualem adeuntibus commoditatem

ditatem præbebat, eadem Diuina bonitas, huic quoq; necessitati, benignè succurrit. Nam cùm Regina Heduigis, Vladislai Iagellonis Regis coniunx, in grauissimam infirmitatem incidisset, pius Rex votum pro illa ad locum hunc Sacelli Corporis Christi nuncupauit. Sed Deus aliter disposuit. Nam postquam Regina, Bonifaciam, filiam quæ tertio post die mortua est, enixa esset, ipsa quoq; non multo post extremum diem clausit. Vladislaus tamen Rex, promissionis ad Deum factæ memor, dum propter bella, quæ illi cum Crucigeris erant, voto satisfacere præsens non posset, fabricam Ecclesiæ corporis Christi in ciuitate Posnaniensi, sumptib⁹ Regia magnificentia dignis, in loco Inuentionis Venerabilis Sacramenti, aggressus est; quæ pluribus annis continuata, pulcherrimo schemmate, ad exitum deducta, Vladislao Regi, videndi operis desiderium ingessit. Quamobrem à bellis aliquantulum respirans, Anno Domini 1414. Posnaniam venit, & in sacro hoc loco, profusis lachrymis, Deo liberatori, pro receptis beneficijs, gratias agens, amplioribus donarijs sacram hanc ædem augere constituit, & redditibus assignatis, Monasterium illi adiecit: in quo fratres Ordinis Sanctæ Mariæ Carmelitarum collocauit; vt quemadmodum filius in Venerabili Sacramento; ita & Sanctissima Virgo eius mater, vno eodemq; loco, in Congregatione sua sancta, cuius singularem protectionem gerit, honoraretur.



Atrox & execrandum Iudæorum facinus, debitas supplitiorum pœnas exposcebat. Quamobrẽ magistratus, & hi omnes quibus id de Iure conueniebat, non multis interiectis, á designato scelere, diebus, diligentem inquisitionem, non modo in ciuitate



Iudæi cum sacrilega muliere, ad palum cum canibus eos lacerantibus, alligati, Viui comburuntur, & dignas impietatis pœnas, luunt 10


Posnaniensi, sed & in circumuicinis pagis & oppidis, instituit. Et vt nihil occultum est, quod non reueletur, per indicia & probabiles coniecturas, ad veritatem facti depræhendendam peruentum. Nihil Iudæorum vafricies, & eorum patris Dæmonis tortuositas valuêre. Depræhensi

henſi ſunt in ſceleribus ſuis tam neſandi operis architecti, vnâ cum ſacrilega muliere: qui quæſtionibus ſubiecti, confeſſi ſunt rei geſtæ modum & ordinem. Sed quod eis ad animæ ſalutem comparandam, non leue præſidium ſubminiſtrare poterat;eo ad perniciem abutentes,& in cœcitate ac obſtinatione ſua perſeuerantes, in blaſphemias Chriſtianorum auribus indignas, ſubinde prorumpebant, gloriati in rebus peſſimis. Vnde cum in illis lucrifaciendis, & oleum & opera perderetur, ſententiam condemnationis ad mortem acceperunt; ad quam præſenti animo ibant, tanquam cum Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo patriarchis cœnaturi. Alligati igitur ad palum cathenis ferreis conſtricti, vna cum impia muliere,quæ tamen de facto dolens,in inopiam ſuam, & Hebræorum perſuaſiones, culpam conferebat, ſubiecto igne ſenſim ſubminiſtrato, aſſabantur: vtq; grauius fieret ſupplicium, canes robuſti ad pedes eorum ferreis vinculis alligati, cum ignis ardorē perferre non poſſent, membra illorum crudeliſſimis morſibus, dum deficerent, dilaniabant. Atque ita lento igne aſſati,infelicem ſpiritum orco & eius miniſtris perpetuo cruciandi tradiderunt: exemplo poſteris relicto, ne ſimile quid in futurum attentaretur. Sed mala mens, malus animus de ſtatu ſuo deijci non facile patitur. Nam multis alijs in Chriſtiani orbis partibus,& in noſtra Polonia inuenta ſunt tantæ impietatis exempla: cùm & ſacræ Euchariſtiæ ſubtractiones, & Chriſtianorum infantum & puerorum cædes,ab hoc ſemine Chanaam,perpetratæ fuiſſe ſæpius memorentur. Rarò tamen ad pœnas ab ijs exigendas, deuentum legimus. Cuius cauſſa non alia poteſt adferri, quàm eorum qui in officijs ſunt poſiti,cupiditas & auaritia. Nihil enim apud Iudæos promptius;quam mendaciū in ore; aſtutia in ſermone, venenum in adulatione,præuentio in celeritate,corruptio in largitione. His artibus fallax gens inſtructa mentes etiam optimorum virorum,de recto ſenſu deturbat;priuilegia & immunitates,contra laudabilem Rerumpub benè conſtitutarum conſuetudinem, conſequitur, & in dies auget. O deteſtandam noſtrorum temporum miſeriam. In cæteris Regnis & Dominijs,è quibus hæc hominum fex eiecta eſt, habetur omnium rerum affluentia, pax, & ſecuritas. In ijs autem,vbi radices hæc mala & Diabolica plantatio, profundiores egit; ſacra Catholica & Apoſtolica religio conuellitur, ſecreta, quibusReſpublicæ conſeruantur, apud hoſtes, & vicinos deteguntur & propalantur, Ciues & mercatores eorum fraudibus, ſupplantantur & in nihilum rediguntur; Monopolia; ad introducendam rerum omnium caritatem, non ſine fuco, introducuntur: rei pecuniariæ pondus imminuitur:omnis generis merces,ſub ſpecioſo bonitatis titu-

 lo,

lo, cum maximo populorum damno, distrahuntur. Possent & multa alia pluribus enumerari, quæ isti coniurati Christianorum hostes, ad disturbandam & euertendam Rerumpublicarum politiam, ex infernali Diabolici spiritus pixide, indies depromunt: sed quoniam hæc alterius sunt instituti, satis fuerit hoc vnicum tantum pro corrollario addere, quod Iustitiæ quæ illis cum hominibus Christianis determinandæ apud Iudices intercedit, tam accurati subuersores reperiantur, vt vix etiam incorruptus Iudex, laqueos peruersorum hominum, aliquando euadere possit. Hæc pauca, ex occasione sceleris Hebræorum Posnaniæ perpetrati huc apponere libuit; vt ij qui in Potestate constituti sunt, cautè cum eiusmodi simijs agant; quæ vbi decipere aliquem in animo magis infixum habent, hoc magis ludicra & placentia proponere consueuerunt, quibus ad desideratum scopum, commodis eorum subseruientem, pertingere valeant. Vt his vltima manus imponatur;

Heu fuge crudeles terras fuge littus auarum,
Heu fuge peruersos homines, gentemq; dolosam.



Benevolo Lectori.

AD Maiorem Dei gloriam, ac Iudæorum & Hæreticorum confusionem, apposuimus hic seriem miraculorum quæ Diuina potentia, pijs se fideliter inuocantibus, pro salute ipsorum in hac sacratissima basilica indies solet exhibere. Plurima sanè sunt eorum negligentia, quibus hæc annotandi, cura incumbebat prætermissa. Sed quibus ista, ad excitandum Dei amorem & timorem, non sufficient, etiam infinita volumina non sufficerent. Tu lectione horum, pro consolatione tua felix perfruere, & Vale.



VOTIVA

VOTIVA CORPORIS CHRISTI MIRACVLA.

In Capita compendiosè redacta.

Aquarum submersione liberati.

CAPVT. I.



NNO Domini 1 4 5 [illegible], Insignia Corporis Christi [illegible] [illegible] ex oppido [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] CHRISTI, cum [illegible] [illegible] ex aquis [illegible], in terra [illegible] [illegible].

[illegible]

[illegible]

In oppido [illegible] [illegible]

[illegible]

Heu fuge crudeles terras fuge littus avarum [illegible]

[illegible]

BENIVOLO LECTORI

[illegible]



VOTIVA CORPORIS CHRISTI MIRACVLA.

In Capita compendiosè redacta.

Aquarum ſubmerſione liberati.

CAPVT. I.



NNO Domini 1493. Jn vigilia Corporis Christi, homo quidam ex oppido Nakel minus cautè agens in profundiſſimam foueam aquis plenam incidit, cumq; illi in mentem veniſſet, Eccleſiam glorioſiſſimi corporis CHRISTI, cum oblatione Miſſæ viſitare, ſtatim miraculosè ex aquis eiectus, in terra ſe conſtitutum vidit.

Quidam puer ex villa Cuthno vltra Lenciciam, quadraginta milliaribus Poſnania diſtante, ſubmerſus ſex horis mortuus iacuit: quem ſimul vt parentes voto emiſſo, ſe præſentaturos in hoc Sacro loco promiſerunt, illicò puer reuixit: quem ſe, Anonymus Miraculorum Collector vidiſſe teſtatur.

Alius itidem puer de Golambino Anno 1493. ſubmerſus, quinq; horis mortuus iacuit: quem parentes voto ad hunc Sacrum locum piè emiſſo, incolumem ac viuentem receperunt: quem Scriptor Miraculorũ ſe conſpexiſſe fatetur.

In Oppido Czenſtochowa, quod à Poſnanien. ciuitate quadragita duobus milliaribus diſtat, puer ſubmerſus, parentibus inſcijs, & eum

querentibus, post meridiem tandem mortuus extractus est. Pro quo cùm mœsti parentes vota fecissent, ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis in Claro Monte positam, & dimidio tantum milliari distantem (in qua Deus omnipotens per merita suæ charissimę Matris, cuius imago à Diuo Luca depicta ibidem relligiosissimè asseruatur, infinita Miracula operari dignatur) nihil tamen consolationis reportarunt; vel quòd, vt nonnulli interpretantur, Virgo mater Sanctissima, dilectissimum filiũ Christum Saluatorem, miraculo cohonestandum duxerit, vel quòd pro filij salute parentum supplicantium, non ea fuerit fides & deuotio, quæ illud impetrare mereretur. Fit enim plerunque, vt indigenæ, minus ad deuotionem propensi nimia locorum sacrorum familiaritate, supina quadam negligentia, reddantur; quàm exteri longis peregrinationibus, & mortificatione carnis facilius consequuntur. Cuius rei exempla vel in hac nostra Posnaniensi Ciuitate, non pauca produci possent; vt Vetus illud dictum hic quoque rectè possit vsurpari; Quod rarum, carum: vilescit quotidianum. Sed his omissis, cùm parentes per dies plures, se viderent non exaudiri, fama miraculorum adducti, votum ad Ecclesiam Corporis Christi Posnaniam pro salute filij direxerunt; quæ statim consequuta est, puero ad vitam reuocato: quem in manibus matris suæ vidisse, & Magistratus Czenstochouiensis litteras, quibus miraculi veritas ostendebatur, se legisse, scriptor Anonymus die S. Michaëlis Anno 1493. memoriæ prodidit.

Puer decennis de Lancko propè Tucholiam, submersus die Sabbathi, in aquis vsq; ad meridiem feriæ secundæ iacuit. Inuentus voto per parentes suscepto, reuixit: quem Scriptor Miraculorum feria Quinta Ante festum S. Matthæi se vidisse incolumem affirmat.

Duo viri ex Zieliezniki nauigio vecti, validissimo ventorum turbine, naue euersa submersi sunt; quorum vnus, se in extremis positum videns, votum, ad Corporis Christi Ecclesiam, magna cum fiducia emisit & illicò diuinitus ex imo gurgite eijcitur, & periculo liberatur; alter Diuinum auxilium non implorans aquis suffocatur. Acta sunt hæc Anno 1493.

Martinus puer filius Stephani Baran ex Opalienica, submersus hora Vesperarum per totam noctem iacuit exanimis. Voto per parentes emisso, reuixit.

In Vnyciow, puella parua cecidit in Vas aqua plenum, quod ante domum

domum, propter incendium restinguendum, positum fuerat, & submersa est. Quærentibus illam parentibus, mulier casu transiens, indicio vestis supernatantis, eam submersam in illo dolio indicauit. Quam cum exanimem parentes extraxissent, ac Vota pro illa supplices obtulissent, subitò vitæ restitutam viderunt.

Nobilis quidam propè Calissiam, diebus quatuor in aqua submersus iacuit. Domesticis vota pro illo facientibus, reuixit.

In Suchylias puer aquis suffocatus, & in Capella sub altari positus vitæ magno miraculo redditus, exclamauit; ô Maria. Hunc P. Albertus Ordinis Carmelitarum Baccalaureus vidit.

In Villa Sempno, puerum in puteum lapsum & suffocatum, dominus eiusdem villæ extraxit, & voto pro eodem facto, rediuiuum parentibus, ex mercatu Costinensi reuersis, restituit.

In Vnikow propè Casimiriam puer in argillæ fodinam prolapsus exspirauit Voto pro illo facto, vitalem auram recepit, teste prædicto Patre Baccalaureo.

In Villa Sliwno tempore messis, parentibus in campo occupatis, trium annorum puer, ab alio protrusus, in puteum incidit. Ad clamorum puerorum, qui præsentes aderant, ancilla quædam accurrit, quæ cum vestibus supernatantibus puerum extrahere conaretur, idem capite deorsum presso, pedibus sursum erectis, submersus exspirauit. Cuius cadauere per vicinos extracto cum ijdem, ad Ecclesiam Corporis Christi pro eius salute vota fecissent, illicò reuixit: quem P. Albertus Baccalaureus se vidisse incolumem testatur.

In Sochaczouiensi Oppido, Vistula fluuio exundante, sex annorum puer, per posticum domus, ad marginem ripæ egressus, terra subsidente, in aquam prolapsus suffocatus per aliquot horas mansit. Extractus voto per parentes ad visitandam Posnaniæ Corporis Christi basilicam, suscepto, ad vitam redijt, à P. Baccalaureo visus.

Puer villæ cuiusdam, in foueam profundam, quæ argillæ fodinas continebat, prolapsus suffocatus est; Voto fratris emisso, vitæ restitutꝰ est.

Nicolaus de Brodnica, Dominica post Ascensionis hora circiter vigesima, per fluuium ratibus ligna conducens, ad aggerem Lubowskiensem, fracto temone seu gubernaculo, in aqua submersus, in ea per vnius horæ spacium iacuit. Alij subsequentes nautæ, qui aggerem eundem præter nauigabant, ad ripam appellentes, & suffocati corpus extrahere

 volentes

volentes, eundem supernatantem viderunt, & in ratem receperunt, qui vitam, voto ad Christi Corporis Ecclesiã emisso, se recuperasse referebat.

Puer quidam in Masouia, inter Plockum & Sochaczowo, parentibus inscijs in Vistula submersus, post horarum quatuor & amplius spacium repertus, voto per parentes emisso, & emensis octo milliaribus itineris ad Ecclesiam Corporis Christi instituti, magno miraculo, rediuiuus apparuit, quem scriptor miraculi, se vidisse incolumem affirmat.

Anno 1491. Puer quidam ex Zathor, quod oppidum quatuor milliaribus Cracouia distat, Vieliczkam pro sale in absentia patris proficiscens, ex monte qui est propè Ecclesiam, altissimo in stagnum incidit, & submersus est: quod cum Sacerdos quidam frater germanus patris pueri, ex aliorum relatione intellexisset, diligenter conquisitum, & quintam iam horam in aquis iacentem, extraxit: ac Votum vouit, quòd pater cũ eo, Ecclesiam Corporis Christi personaliter visitaturus esset, si reuiuisceret: quod & factum est. Nam tribus hebdomadis peractis vnà cum patre, Posnaniæ incolumis à Patribus dicti Conuentus visus est.

In villa Vlina prope Lonczbar in Saxonia posita, duodecim milliaribus Posnania distante, cuiusdam Simonis puer, submersus per quatuor horas exanimis iacuit. Voto facto per Patrem statim reuixit.

Propè Calissiam mulier cum puero submersa, votis pro ea per vicinos factis, ad vitam redijt.

Laurentius famulus Parochi de Margonino, quæ villa quatuor milliaribus abest à Posnania, aquis suffocatus, cùm diem ferè integrum non compareret, auxilio bonorum virorum in siccum tractus, voto per eosdem Posnaniam suscepto, viuus comparuit & Sabbatho ante Dominicam Quadragesimæ post quinquennium, veniens Posnaniam aduentus sui caussam Patribus indicauit.

In Glamboczecz puer nomine Simon, in aquam prolapsus, duabus horis, vita priuatus, ad votum patris, à morte miraculosè reuocatus est; quem idem pater in maxima populi frequentia, Ecclesiæ viuum repræsentauit ipso die Sancti Ioannis Baptistæ Anno 1493.

Rustica mulier, cereuisiam ex pago propinquo conducere, & ne lacum circumiret, compendium quærere volens, ad tabernam ad eundẽ lacum positam perueniens, ab hospite petiuit, vt se nauigio ad locum destinatum conduceret. Conscensa exigua cymba, eaq; in medio lacu dissoluta, Tabernarius submersꝰ est, ipsa verò voto emisso, nauiculæ parte adhærens

adhærens, ad arundinetum vſque delata, clamore indicium faciens, ab incolis erepta periculum vitæ euaſit. Id factum Anno 1508.

Anno Domini 1510. In villa quadam, quæ à Ciuitate Poſnanienſi tribus milliaribus diſtabat, pueri tres ad lacũ ludentes, vnum in aquã proiecerunt, qui ſubmerſus eſt, Duo illi facinoris conſcij parentibus indicare ſocij ſubmerſionem noluerunt. Tertia tandem die puerum mortuum in margine lacus iacentem, parentes mœſti repererunt. Pro quo cùm votum ad Eccleſiam corporis Chriſti Poſnaniam emiſiſſent, reſuſcitationem filij impetrarunt.

Eodem Anno puella quædam in Oppido Pobiedziski, dum incendio conflagraret, exterrita, in aquas prolapſa, mortua extracta eſt: Voto per ſuos facto, ſtatim reuixit.

Anno Domini 1512. puer in VVilkus duobus à Poſnania milliaribus in fluuio ſubmerſus; poſt duas horas extractus, voto per matrem emiſſo, vbi ad pontem Eccleſiæ vicinum, puerũ in brachijs geſtans, peruenit eundem viuum ſubito conſpexit, multis honeſtis viris miraculum inſpectantibus.

Eodem Anno, puero in puteum lapſo, in quo ab hora quintadecima vſq; ad decimam octauam iacuit, cùm Votum pro eo factum eſſet, eundem viuum ſui ſtatim receperunt.

Puer in aquis ſubmerſus, à meridie vſq; ad horam Veſpertinam ibidem iacuit. Cum extractus eſſet, voto ab alijs pro illo facto, ad vitam reuocatus eſt.

Puer ab alio protruſus, in puteum cadens, per dimidiam horam ibidem hæſit; extractus per quatuor horas mortuus iacuit feria ſexta poſt feſtum Corporis Chriſti: Voto per mulieres nonnullas pro ſalute eius facto, vitam recuperauit; in Villa Liuſzowo.

In Villa Luſzowiec ante feſtum ſupradictum, trium annorum puer in lacus margine ludens, ſubmerſus eſt; quo per quendam hominem extracto, & plane mortuo, pater dolore conſternatus, & quaſi ſemimortuus, votum nihilo minus pro illo fecit, atq; ita puer poſt aliquod temporis interſtitium reuixit.

Puer minorennis bibere volens, vt aquam ex dolio medioeri lamberet, capite inclinato, in illud decidens, ſubmerſus, per dimidiam horam mortuus remanſit. Voto per matrem emiſſo ad vitam redijt.

Poſnaniæ in ea parte quæ CHwaliſſzewo dicitur, trium annorum

puer, negligentia matris incustoditus excedens ex ædibus, in fluuio præterlabente submersus, post vnam horam extractus & mortuus, voto per matrem facto, quasi è somno euigilans, ad vitam reuocatur.

Mulier quædam de Sochaczewo, veniens cum duobus filijs, quorum vnus octo, alter quinq; annorum erat, ad quandam Dominam vt cereuisiam coqueret, eiusdem Dominæ curæ filios commendauit, quæ cũ illorum custodiam minus diligentem adhiberet, illi circa puteum luctantes, in eundem prolapsi sunt, in quo per duas & vltra horas iacuerũt. Mater mœstissima, postquam indicio cuiusdam adolescentis, & Proconsulis oppidi qui vnum supernatare casu superuenientes viderant, de eorum interitu notitiam habuisset; homine primum per funes in puteum demisso, deinde vnco ferreo adhibito, vtrunq; extrahi procurauit: quorum minor per vnum, alter per duos dies vita priuati remanserant: quo ad vsq; Ecclesiæ Concionator D. Bartholomęus, votum pro illorum salute emisisset, quæ Diuina benignitate subsequuta est. Mater illis curru impositis, ipsa pedestri itineri ad triginta tria milliaria peracto, eosdem ex voto facto, Ecclesiæ Corporis Christi incolumes repræsentauit, Anno Domini, 1526.

Vincentius villæ Splawye colonus, ipso die Visitationis B. Virginis à Domino negotiorum caussa ad aliud prædium missus, ab equis ferocientibus, quos retinere non poterat, validissimo impetu tractus, in stagnum, propè villam Michowo, vno à Posnania milliari distante, præcipitatus, per vnam horam submersus in aqua iacuit. Deinde à rusticis Michouiensibus extractus, per dimidiam itidem horam vitali priuatus aura mansit. Voto per eos qui cadaueri adstabant, pro eius salute, ad Ecclesiam Corporis Christi facto, statim reuixit.

Posnaniæ, puer annorum quatuor de CHwalissewo, ex aggere qui Ponti Maiori adiacet, in Vartham prolapsus, maximo fluminis impetu, longo satis interuallo, abreptus, mortuus extractus est.

Mater mœstissima simul ac votum pro illo, ad Diuinissimum Sacramentum emisit eundem viuum recepit, & in Sacra Capella hominibus spectandum exhibuit.

Quidam ex tractu Cuiauiensi, hyemis tempore, per amplissimum lacum qui Goplo vocatur, carpento duobus equis vectus, semitam per alios tritam sequutus, ad eum locum peruenit, vbi glacies magna ex parte resoluta, modico tamen gelu constricta, & niue consperssa erat: quam

firmam

firmam credens, in aquam cum equis & carpento illico cadens, votum ad Sacratissimum Corpus Christi fecit; atq; statim supernatans, sanus cum equis, nullo damno accepto, ad littus peruenit. Id publice, voti reddendi caussa pro festo Corporis Christi ad basilicam eandem veniens, confessus, Diuinæ Maiestatis gratiam recognouit.

Dominica Tertia post Trinitatis, quædam mulier ex suburbio Posnaniensi quod VVinary vocatur, adueniens, exposuit Diuinæ potentiæ miraculum, in filium eius ostensum. Js etenim iuuenem quendam in foueam altissimam lapsum, è periculo cupiens eripere manum eidem perrexit, quam ille tantis viribus constrinxit, vt cùm ab eo diuelli non posset, in imum aquæ profundum cum eo descendere, atq; submergi coactus fuerit. in qua per dimidiam horæ partem permansit. Superueniente deinde vno adolescente, qui submersos cognouerat, idem in genua procumbens, Beatissimę Virginis Marię supplex implorauit opem, vt vnus ex ijs appareret, qui iuuari ab eo posset. Tandem mulieris prædictæ Vinariensis filius emersit, quem in siccum extraxit. Et quamuis per mediam horam mortuus ibidem iaceret, voto tamen per matrem emisso, vitæ restitutus est, qui Charitate proximi pereuntis adductus, vitam pro illo in extremum discrimen adducere non dubitauit.

Puer quidam in Cromolice, in puteum lapsus, cùm non citò extractus esset, exspirauit. Per votum ad Ecclesiam Corporis Christi susceptum, mundanæ lucis vsuram reportauit.

Stephanus Bialek piscator Posnaniensis cum socijs incumbens piscationi ante festum Natiuitatis Domini, glacie propemodum in Varthā fluuio resoluta; & fluctibus, & glaciei fragmentis supernatantibus vehementer obruebatur; cumq; mortem propinquam exspectaret, fiducia in Dei solius adiutorio reposita, socios adhortabatur, vt vota vna secum ad Ecclesiam Corporis Christi pro ipsorum liberatione susciperent. Quibus susceptis glacies liberum illis additum præbuit, vt incolumes ad littus adpellerent. Voto persoluto & oblatione facta, ad eorum instantiam miraculum hoc in festo Corporis Christi, in publica F. Gregorij concione, Anno Domini 1531. publicatum fuit.

Eodem Anno, tres viri ad villam Nødzin, nauigio per flumen vecti, vento & grauissima tempestate iactati, in extremo submersionis periculo versabantur. Id mulier in littore stans à longe conspicata, Charitatis Christianæ officio adducta, vouit se illos cum oblatione, ac Sacrosan-

cto Missæ sacrificio, in Ecclesia Corporis Christi repræsentaturam. Subsequuta mox tranquillitate, incolumes adripam peruenerunt, & vota Domino reddiderunt.

Anno Domini 1531. Matthias de Buk cognomine Kozyel mercator, merces suas conducens, vbi ad Vartham fluuium peruenerat, & colle eminentiori, in profundam dicti amnis foveam, vnà cum equis & curru onerato cecidit, & se in præsenti periculo constitutum videns, in genua prolapsus, clamare cœpit; ô sanctissimum & diuinissimum sacramentum, ô Domine IESV CHRISTE; tibi me hodie commendo. Libera me famulum tuum miserrimum peccatorem, ex hoc periculo: Votoq; facto, quod cum Missa & oblatione, Locum hunc sanctum visitaturus esset, statim equi ac si in terra essent, constiterunt, & sensim promouentes, illæsi cum Mercatore, ex aquis ad littus peruenerunt. Cumq; votum dictus Matthias persolueret, miraculum hoc ad maiorem Dei gloriam, publicari procurauit, eodem Anno in die S. Mariæ ad Niues.

Anno Domini 1531. in Vigilia S. Michaelis, Generosus Dominus Grzimulthowski Hierosolymis cum alijs viris nobilibus in patriam nanigiò reuertens, vento validissimo & contrario exurgente, grauissima tempestate iactatus, in certissima naufragij exspectatione versabatur. Recordatus nihilominus miraculorum, quæ Deus Ecclesiam Corporis Christi Posnaniæ visitantibus, præstare solet, spe firma vnà cum socijs votũ emisit, statimq; maris tranquillitate consequuta, Christi saluatoris beneficio à præsenti periculo ereptus est. Et veniens ad locum hunc, voto satis fecit; vtq; tantum hoc miraculum publicè populo denunciaretur, obtinuit.

Filiam decem annorum, Dorotheæ Barankowa de Chwalissewo, puella itidem in decimo ætatis anno constituta, in fluuium Vartha tempestate intumescentem protrusit. Anno 1532. feria secunda Paschæ: cũq; spes euasionis nulla superesset, parentes cum astantibus, votum pro illa fecerunt, statimq; puella, angelico, vt par est credere, ministerio, in ripa incolumis constitisse visa est; quam parentes in fidem tanti miraculi, cũ oblatione, Dominica in albis, in templo præsentarunt.

Gregorius Reuerendissimi Domini Posnanien. Episcopi tibicen, in villa Solecz in flumine Vartha natans vesperi in Octaua Pentecostes submersus est: qui cum in profundo gurgite, quasi per vnam horam, veluti in quadam extasi positus iaceret, dicit sibi diuinitus suggestum fuisse,

isse, de voto ad Ecclesiam Coporis Christi faciendo; quod simul vt mente concepit illicò apparente sibi quodam, ab eodem extractus, & in ripa constitutus est incolumis: quod miraculum nudis pedibus ad Basilicam accedens, ob voti persolutionem, feria quarta in crastino Visitationis B. Virginis Anno 1532 in magna populi sexus vtriusq; præsentia, publicè accepti beneficij memor, omnibus exposuit.

Matthias Pyacioro piscator, exigua cymba vectus, ea rapidissimi fluminis impetu ad latus inclinata, submersus; voto cum oblatione piè concepto, e profundo mirabiliter subleuatus, natando ad ripam pertingens, periculum euasit.

Ciuis cuiusdam Gedanensis puer minorennis, in Motlawam lapsus post vnam horam exanimis extractus, voto per parentes, cum Missa & Cereo staturæ ipsius pueri, ad Ecclesiam Corporis Christi facto, vitæ restitutus, cum parentibus in festo Ascensionis Domini præsens hic comparuit, Anno Domini 1533.

Eodem Anno mulier transiens pontem propè templum omnium Sanctorum Ecclesiam Corporis Christi aditura, puerum in vlnis gestans casu cecidit: inde puer in aquas lapsus, per horæ quadrantem ibidem iacuit. Eo extracto, & voto per matrem facto, reuixit.

Anno 1534. ante Dominicam palmarum, puella annorum octo, Ioannis VVyrobowski de Kolo filia, in Vartha flumine submersa tota nocte in aqua mansit. Mane extracta, omni vitali Spiritu carens, facto per suos voto ad sacrum hunc locum, tanquam ex altissimo somno excitata reuixit; & feria tertia ante festum S. Adalberti in templum adducta est.

AnnoDomini 1535. in oppido Sochaczowien. sex annorum femella in puteum cecidit, feria quinta antè Dominicam in Palmis. Post duas horas, ex aquis exempta planè mortua, maximo dolore Stanislaum Kramarczik pannificem, parentem suum affecit: quo in genua cum lachrimis ibidem procumbente, ac voto repetente, puella oscitare cœpit. Votisq; pro ea subinde feruentioribus emissis, ad vitam redijt; & Dominica Conductus Paschæ, in hanc Ecclesiam adducta, ab omnibus incolumis visa est.

In Villa Sczytniki, quæ non multum distat à Posnania Laurentij Kozyelek coloni, duorum annorum filia, in foueam profundam aqua plenam incidens, post horas circiter duas, extracta planè mortua, voto facto reuixit; quam parentes promissioni satisfacientes, in Ecclesia exhi-

buerunt Dominica Quarta post Pascha. Anno Domini 1535.

Eodem Anno in VVidzierzewice ; quæ villa duobus à Posnania milliaribus abest, filius Iacobi Pienkowski duorum annorum, cum pueris ludens . in argillæ foueam , Dominica Quarta post Trinitatis prolapsus, & submersus est. Quem sensu omni carentem parentes mœstissimi, vt ad vitã restitueretur, voto cum vicinis suscepto, à Deo impetrarũt.

In Villa Dowyezyno propè Buccouiam , quinq; annorum puella, Die ipso Pentecostes mane, in puteum inciderat ; post dimidiam & amplius horam extracta, cum hiatum adhuc ore emitteret, voto per parentes facto, ad se redijt, & die Dominica infra Octauas Christi, in Ecclesia præsentiam suam exhibuit. Anno Domini: 1538.

Lucas filius minorennis Stanisslai Goza de Buk oppido Anno Domini. 1595. in puteum profundum cadens ferè exánimatus extrahitur. Voto per parentes emisso reuiuiscit, & in festo S. Joannis Baptistæ in facie Ecclesiæ sistitur incolumis.

Eodem Anno 1595. Matthias Luciæ de Grodzisko filius, cùm in puteum profundum incidisset, inde vix palpitans exemptus, voto pro illius salute emisso, ad se statim redijt.

Anno Domini 1596. Matthias artis sutoriæ, de Villa Krzywarzeka, corpus in fluuio abluens, & natandi non adeo peritus, aquarum impetu abreptus, vix semiuiuus extrahitur; votoq; per alios suscepto, sensim spiritus resumens, à periculo liberatur; & Dominica Tertia, post festum Paschatis, cũ oblatione, in Ecclesia Corporis Christi, Deo gratias persoluit.

Hoc eodem Anno in festo S. Michaelis Archangeli, Matthias de Drachouino cum coniuge, Laurentium puerum filium suum , qui submersus per horas ferè duas in aquis iacuit, post votum cum lachrymis deuotè emissum, in hoc sacro loco incolumem repræsentarunt : & tabella argentea quæ magnitudinem miraculi posteris testaretur , ad tabernaculum Diuinissimi Sacramenti suspensa conspicitur.

Quidam puer de Golambino, Anno 1493. in aquis submersus per horas quinq; pro mortuo habebatur. Voto per parentes religiosè suscepto mirabiliter ad vitam reuocatur, & in templo præsentatur.

Anno Domini 1593. in oppido Czenstochouien. puer aquis submersus , per mediam diei partem ibidem hærens , tandem extractus est. Parentes voto pro illo ad sacrum locum Christi Corporis emisso , eundẽ viuum, in festo S. Michaelis hic constituerunt, & oppidi Magistratus literas, eius rei testes exhibuerunt.


Anno

Anno Domini: 1602. Gregorius de Zielonki cum coniuge Catharina, Laurentium filium duorum annorum, qui in stagnum, cadens exspirauerat ex voto facto, Dominica secunda post Pascha incolumem, in hac Ecclesia, constituerunt.

Anno Domini, 1600. Dominica Tertia post Pascha, Margarita nouem annorum puella, casu fortuito in stagnum, quod Ecclesiæ Cathedrali Posnaniensi vicinum est, incidit, post dimidiam horam inde erepta, planè mortua reperta est. Parentes mœstissimi, ad Diuinæ Potentiæ auxilium confugientes, voto ad Ecclesiam Corporis Christi feruenter emisso, eandem Vitæ restitutam, in loco sacro præsentarunt.

Erepti ex ignis periculo.

Capvt. II.



NNO Domini 1493. In villa quæ Oppido kosthen adiacet, puer in ignem lapsus, adeo malè tractatus fuit, vt de vita ipsius planè conclamatum fuerit. Parentes in summo luctu constituti, vnicum tam acerbi casus remedium existimarunt, si voto ad Ecclesiam Corporis Christi facto, eundem Diuinæ misericordiæ totum permitterent. Consolatus est illicò Deus omnipotens. Nam & filium viuum receperunt, & eundem in templo, pro accepti beneficij memoria, paulò post repræsentarunt.

In Villa Straniszko, hæredis eiusdem filius, in mense sexto, à quinque annorum puero gestatus, in ignem casu proiectus, ac totus ambustus, & ipso mortis periculo positus, voto per suos piè suscepto, integrã sanitatem recuperauit.

Quidam in VVozniki, cui villæ incensæ crimen obijciebatur, vt viuus combureretur, sententiam mortis acceperat. Is sibi optimè conscius, spem in Dei solius auxilio repositam habens, visitandi sacrum locum hunc votum fecit, statimq; Diuina quadam ordinatione, innocentia eius iudicibus euidenter comprobata, absolutus & liber dimissus, Die S. Hieronymi, apud Ecclesiam comparens, vitam acceptam Sanctissimo Christi Corpori retulit.

Anno 1508. Puer Ciuis cuiusdam Iacobi Danyek filius, casu & ancillæ incuria, lixiuio feruenti perfusus, à capite vsq; ad cingulum cute ad interiora nudatus, miserè affligebatur, & consummabatur. Pater & patruus eiusdem Magister Matthias, votum cum oblatione ceræ ponderis quod puero adæquaretur emiserunt. Illicò caro pueri fluere desijt, nec vllum combustionis signum remansit. Id se vidisse testatur, qui miraculum literis consignarunt, inter quos vnus frater Ioannes VVernerus sacræ paginæ lector.

Anno Domini 1509. In Villa Komorniki, rustica mulier, puerum reptare incipientem, in cunis humilioribus deponens, domo discessit. Reuersa puerum in cunis non repertum, vna cũ marito diligenter quæsitum, in orificio depressæ fornacis in prunis magna ex parte in cinerem & fauillam redactis, iacentem mortuum repperit. Voto pro illo ad Ecclesiam Corporis Christi facto, puer mortuus reuixit.

Anno Domini 1512. Puer in Pawłowice, die S. Laurentij ad focum accedens, aquam bullientem, in corpus & pedes casu effudit, quæ pellem totam maximo cum eius dolore depasta est Nocte subsequente, quamprimum mater pro illo votum fecit, illicò sanus effectus est.

Nobilis Domina Anna Gostinska, cùm Tucholiæ in Nundinis pro festo Annunciationis esset, incendio in vicinia eius exorto, hospitium quoque eius peruasit, idq; nocturno tempore. Ciuitate clausa cùm exitus nulli pateret, magnitudine periculi territa, votum visitandi locum hunc sacrum emisit. Atq; ita Deo disponente, paulo post cum omnibus suis, curru, equis & rebus euasit, in cera tantum, quam reliquerat, damnum perpessa.

Dorotheæ piscatricis puer, bullienti butyro perfusus, ad extrema deuenerat. Matre pro illo votum emittente, statim conualuit.

Anno Domini. 1544. feria quarta Paschatis, cùm Varsauiæ incendium grassaretur, & cuiusdam Ciuis filius igne absumptus esset, idem pater ad alterum filium igne vndique circumdatum accurrit, eundemque voto facto flammis eripuit, & die S. Ioannis hic in templo præsentauit.



EX



Ex Diversis Infirmitatibus sanitati restituti.

Caput III.

Heduigis ex oppido Buccouiensi mulier, cùm grauissima infirmitate detineretur, in uisione, quandam insigni pulchritudine Dominam sibi adstantem conspexit, quæ illam alloquuta est; Quid iaces Heduigis? Surge velocius. Visitaturam te Corporis Christi Ecclesiam Posnaniæ promitte, & sanaberis. Fecit quod monebatur, & statim conualuit.

Generosus Dominus Christophorus de Szidlowiec, Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri miles illustris, sex mensium infirmitate mirabiliter afflictus, audita miraculorum fama, visitaturum se Corporis Christi Ecclesiam in Ciuitate Posnaniensi recepit, cum sacrificij Missæ, & statuæ cereæ, quæ staturæ corporis eius responderet, oblatione; ac vnius milliaris pedestri itinere conficienda peregrinatione. Qui sanitati restitutus, & voto satisfecit; & appensa tabula, tam insignis beneficij, per Diuinissimum Sacramentum, percepti memoriam posteritati reliquit, exemplo suo commonefaciens, nihil tam arduum & difficile cuiquam videri debere, quod ardenti fide concepta, in omnibus vitæ huius calamitatibus, in hoc Sacratissimo loco, à Deo omnipotenti, impetrari non possit.

In Grodzisko, quidam in vndecimo ætatis anno constitutus, pedis vitium, maxima cum doloris acerbitate coniunctum, contraxerat. Voto per parentes emisso, sanitatem recuperauit.

Quædam mulier Cracouiensis per vnum annum grauissimo epilepsiæ morbo vehementer, tribus & sex aliquando diebus in Hebdomada, concutiebatur. Cumq; votum ad gloriosum S. Martyris & Pontificis Stanislai tumulum, qui in Arce Cracouiensi Christi fidelium deuoti-

one frequentatur, emisisset, in visione nocturna, apparente sibi splendenti facie viro, Pontificalibus induto, responsum accepit, illam ab hac infirmitate liberari non posse, nisi voto ad Ecclesiam Corporis Christi Posnaniam emisso; Quod simul vt factum est, ab infestatione tam exitialis morbi liberata, vota sua Domino Saluatori reddidit ipso die Corporis Christi. Anno 1494. Scriptor id se ab eius ore accepisse, memoriæ prodidit.

Alia quædam mulier de Praszakowo, similem Epilepsiæ morbum anno integro perpessa, & partus difficultate laborans, statim vt votum, ad visitandam Posnaniensem Corporis Christi Basilicam fecit, è tantis miserijs est erepta.

Mulier quædam in Kyekrz per semestre grauissimo dolore capitis in tantum oppressa, vt omni auditu sensu caruerit, voto facta integram sanitatem recuperauit. Anno 1494.

Quidam de Masłowo cùm grauissima infirmitate detineretur, voto piè concepto, illicò sensit se sanitati restitutum.

In Vscye sex mensium grauissimo quidam vexatus morbo, facto ad sacrum hunc locum voto, incolumitatem consequutus est.

Vir ætate iam maturus propè Stawiszynum, feria quarta post Pascha, & morbo caduco oppressus, & paralysi in manu & lingua tactus, cùm per quinq; dies, manu & loquela destitutus iaceret, animum ad visitandum sacrum hunc locum conuertens, miraculosè conualuit.

Pater Albertus ordinis Carmelitarum Baccalaureus circa pontem vna cum alijs fratribus operi manuum intendens, vidit hominem vno pede claudum, duobus baculis sub brachijs innixum ad Ecclesiam reptare. Hunc eundem post vnius horæ spacium, ex Ecclesia redeuntem, & officio pedum absque omni adminiculo fungentem, vnà cum socijs conspexit.

Propè Ciuitatem Plocensem in Masouia, coloni cuiusdam puer longa infirmitate detinebatur, admonitu piorum hominum, pater pro illo votum emisit, repente sanatus est. Parens voto satis fecit.

Iuueni pictori per Hebdomadas aliquot grauiter decumbenti, & non exiguos sumptus pro valetudine recuperanda frustra facienti, in quadam veluti exstasi, apparuit quædam insigni specie & honestate Domina eum comiter alloquuta; Cur in procurandis medicinis, tantam pecuniæ vim absq; fructu aliquo effundis? Scito sanitatem non prius

te

te recuperaturam, nisi te voto adstrinxeris, te opus aliquod ex arte tua facturum, quod in Ecclesia, in qua gloriosum Corpus Christi repertum religiosè asseruatur, collocari possit. Quæsiuit quale nam illud esse deberet. Responsum accepit, Annunciationis B. Virginis Mariæ tabulam pingi debere. Voto facto, subito sanatus, id quod promiserat, re ipsa præstitit.

PetrusBuccouiensis morbi caduci vehementia, ad delirium peruenerat. Reuersus ad se, voto cum oblatione emisso, pristinæ sanitati restitutus est.

Quædam Domina in Naklensi tractu, per continuos annos sex, maxima infirmitate distinebatur, vt eam mouere se non valentem, famuli sella gestatoria deferrent. Simul ac votum emisit, sanitatem recepit.

In oppipo Stawiszyn, quidam à multo tempore infirmus voto facto, sanus factus est,

Mulier infirmam habens filiam, idq; multis mensibus, voto pro illa facto & quod genibus flexis & nudis EcclesiamCorporis Christi circumitura esse, filiæ sanitatem obtinuit.

Mulier ex vrbe Romana reuersa, vbi per multos menses grauissimas infirmitates perpessa est, votum emisit se visitaturam cum oblatione Christi Corporis Ecclesiam. Sanitate recuperata cereum grandiorem Ecclesiæ Vitrico repræsentauit.

In Ciuitate Torunensi, quidam longo tempore morbo caduco infestabatur. Voto ad Ecclesiam Corporis Christi facto, ab infirmitate prædicta liberatus est.

In oppido Masouiæ Syrocz, quod quinque milliaribus abest à VVarsauia, mulier quædam nomine Dorotheæ, molestijs animi plurimis exagitata, vsum rationis amisit, & amens per quinque Septimanas, nec comedens nec bibens, per campos hinc inde vagabatur. Quintæ Hebdomadæ feria quarta, cùm præ lassitudine in terram corruisset, & quietem capere cœpisset, apparuit illi formosissimus quidam puerulus, candidissima veste indutus, qui illam alloquutus est: Dorothea vis sana fieri? Respondit illa; ô quam libenter puerule dulcissime. Ille ad hæc; Ex altissimi Dei omnipotentis mandato tibi significo, te sanitatem recuperaturam, simul vt voueris, te Ecclesiam Corporis Christi Posnaniæ personaliter visitaturam. Visione disparente, Votum peregrinationis eiusmodi emisit, atq; iterum obdormiuit. Postquam euigilauit, se sanam & ab amentia

mentia liberam comperit, Quod vicini videntes, dederunt gloriam Deo, qui facit mirabilia magna solus. Ipsa vero Posnaniam veniens Patri Gaspari Ecclesiæ Corporis Christi Concionatori, miraculi huius seriem enarrauit Anno Domini 1493. feria secunda die Sancti Ioannis Baptistæ.

Heduigis ex oppido Buk, cum grauissimè infirmaretur in visione quædam miræ pulchritudinis domina illi apparuit, dicens; Heduigis quid iaces? Surge, & te visitaturam Christi Corporis Ecclesiam promitte, & sanaberis. Vbi votũ emisit, subito morbus illam reliquit. Anno 1493

Anno Domini 1503. Quædam domina in Noua Ciuitate Masouiæ, grauissima mamillarum infirmitate detinebatur, ita vt caro penitus deflueret, & de vita periclitaretur. Voto ad Sacratissimum locum hunc facto, miraculosè sanata, ad Ecclesiam veniens, cingulum argenteum, in recepti beneficij tanti memoriam, in sacra Capella reliquit.

Anno Domini 1504. Dominus Lawski Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnen. per biennium Morbo Gallico grauissimè laborans, & mente reuoluens, quantis miraculorum signis Deus omnipotens locum hunc Sacrum condecoraret, fide integra & deuotione singulari concepta, cum oblatione votiua Ecclesiam hanc visitauit; & subitò sanitatem integram recuperauit.

Anno Domini 1508. Ducissa quædam Masouiæ, grauissima infirmitate detenta, si ab ea liberaretur promisit se Corporis Christi Ecclesiam visitaturam, cum imagine cerea, quæ staturam corporis sui adæquaret. Sanitate subsequuta, eandem repræsentauit è sex lapidibus Ceræ confectam.

Mulier per annos duodecim morbo Gallico infecta, cum per biennium lecto affixa immobilis maneret, voto cum oblatione ceræ, prout facultates eius ferebant, emisso, statim conualuit.

Anno eodem 1508. Nobilis vir Valentinus Kothowski, lue pestilentialis morbi correptꝰ, sibi & liberis ne inficerentur metuens, nec medicos ad manum habens, ad Dei omnipotentis auxilium, qui locum Corporis Christi magnis illustrabat miraculis, confugiendum sibi existimauit: ac voto piè suscepto, se cum suis præsenti periculo, diuinitus ereptum vidit.

Matronæ cuidam in Ciuitate Posnaniensi grauissimè decumbenti, in somnis puella miræ pulchritudinis apparens, eam admonuit, vt votum ad visitandam Christi Corporis Ecclesiam emitteret: quòd cùm ex-

pergeſacta magna cum devotione feciſſet, illicò ſoſpes è lecto ſurrexit.

Anno Domini 1510. Die Dominica S. Aegidij confeſſoris, Niczkovva mulier Eccleſiæ vicina, repente in grauiſſimum morbum incidit, vt jam de vita ipſius conclamatum fuerit. Simul vt votum emiſit à præſenti periculo liberata eſt.

Anno Domini 1512. Incola villæ Sobothka, non procul à Cyozym diſtante, cum per biennium pedum & aurium officio deſtitueretur; voto emiſſo, Dominica Trinitatis, vtrumq; recuperauit.

Eodem Anno puer quidam in VVegierskie, per quinq; dies loquela carens, eaq; redintegrata, motu pedum & manuum per Hebdomadas quinq; priuatus, voto per ſuos emiſſo, è tam graui infirmitate conualuit.

Hoc ipſo Anno, quidam è Mariæburgo, quæ Ciuitas eſt in Pruſſia, per biennium nec videre, nec loqui, nec incedere valens, cum ipſo die Corporis Chriſti votum feciſſet, omnia ſibi ad ſanitatem ſenſit miraculosè reſtituta.

Anno eodem, Sartor è Gneſna, lethaliter ad effuſionem cerebri in capite vulneratus, cum chyrurgi curam eius omnes detrectarent, vxore eius in genua procumbente, orante, ac ad ſacrum hunc locum pro illo vota faciente, vulnus mortiferum repente clauſum & obductum, expertus eſt.

Mulier in Pleſchew cum per annum integrum pedibus incedere non poſſet, voto pro illa emiſſo, greſſus beneficium recepit. Cumq; prius Capellam Sanctæ Annæ viſitaſſet, denuò languore pedum percuſſa, non antè perfectam ſanitatem conſequuta fuit, quàm votum prius, quo obſtricta fuerat, adimpleret.

Eodem Anno, Mulier quædam, ex grauiſſima infirmitate, uſum pedum per quatuor Hebdomadas amiſerat. Voto facto ab hac calamitate liberata fuit.

Fœmina Poſnanienſis è Cerdonum platea, grauiſſimo manus morbo, quem medici curare non poterant, affecta, ſtatim vt votum emiſit, priſtinæ ſanitati reſtituta eſt.

In viculo Poſnanienſi qui Arena dicitur, Martinus quidam gradiendi officium, vt loco ſe mouere non poſſet, amiſerat. Quamprimùm votum emiſit, ſanus repente factus eſt.

Quædam mulier ob fractos pedes, toto bimeſtri lecto affixa, & grauiſſimos dolores perpeſſa, Dominum precabatur, vt morte ſuperueniente, è tantis anguſtijs liberaretur. Tandem audiens, quàm multi quotidie, voto ad Eccleſiam Corporis Chriſti facto, à varijs infirmitatibus ſanarentur; ipſa quoq; ſe ſacrum hunc locum, maxima cum deuotione, viſitaturam recepit: & ſubito ſanata, Diuinum hoc beneficium publicè fatebatur.

Quidam in oppido Pákosć minus conſideratè agens, ſecuri pedem grauiſſime læſit, vt ſe perpetuò claudum futurum exiſtimaret. Voto ardenti fide concepto, repentè ita ſanatus eſt, vt vulneris locus nuſquam appareret.

Petrus ex Kokendorff ſuburbij Poſnanien. ardentiſſima & exitiali febre correptus, voto cum oblatione cerei, & ſacrificij Miſſæ facto, ſtatim ſe liberatum ſenſit.

Mulier Poſnaniæ in Hoſpitali S. Spiritus per quatriduum grauiſſima infirmitate detenta, cum vitæ terminum adeſſe videret, inſpiratione quadam diuina votum emiſit, & illicò ſanitatem fuit conſequuta.

Matrona quædam Poſnanienſis, oppreſſa periculoſiſſima infirmitate, votum fecit, ſe Eccleſiam Corporis Chriſti genibus reptando circumituram: atq; ita repentè ſanata eſt.

Puer quidam ex oppido VVſchowa in finibus Sileſiæ, per quatuor menſes infirmatus, vocis, & auditus amiſerat ſenſum. Voto per parentes ipſius emiſſo, feria tertia infra Octauas Viſitationis B. Mariæ, ſanus, & incolumis è lecto ſurrexit.

Quædam Domina per duos annos grauiſſimos pedis dolores perpeſſa, ita vt ſe incedere in poſterum poſſe dubitaret; voto feria tertia Paſchæ, antè imaginem Crucifixi, deuotiſſimè facto, integram ſanitatem recipere promeruit.

Anno Domini 1514. Feria quinta poſt Paſcha, Nobilis Dominus Baruchowski, Burgrabius Reuerendiſſimi D. Epiſ. Poſnanienſis in Cyczym, grauiſſimo dolore gutturis oppreſſus, ita vt nec loquendi, nec reſpirandi facultas illi ſupereſſet, videns extremum ſibi vitæ periculum imminere, ſcripſit cuidam è ſuis, vt Eccleſiam Corporis Chriſti, voto pro ſe ſuſcepto, viſitaret. Id vt factum eſt, ſtatim conualuit, & cum ſolenni oblatione votum in perſonam eius emiſſum, adimpleuit.

Tempore Prioratus F. Ioannis VVerneri, Sacræ Paginæ Lectoris, quidam in grauissima infirmitate per tres, & amplius menses, detentus, morti propinquus, cum ore non posset, corde, votum visitandi sacrum hunc locum, concepit. Statim e lecto, ac si nunquam infirmatus fuisset, surrexit, & DEO gloriam dedit.

Quædam Posnaniensis matrona, capitis acerbissimo dolore adeô vexata, vt omnem vitæ spem abijceret, pro vltimo remedio, per votum emissum, ad Sacratissimum Christi corpus visitandum, confugit, & subitò à morbo liberata est.

Alia quædam domina acutissima febri vexata, voto facto, ab infirmitate sanata, cùm illud adimplere distulisset, in multo periculosiorem infirmitatem incidit: cumq; in instanti se illud impleturam recepisset, repente conualuit.

Ciuis VVągrovvecensis, puerum mortifero apostemate percussum, & in extremis laborantem, voto religiosè concepto, se præsentaturum in Ecclesia Corporis Christi Posnaniæ promisit. Is statim, è mortis faucibus ereptus, incolumis apparuit.

Anno eodem 1514. inter festum Assumptionis Beatissimæ Virginis, & S. Bartholomæi, Varthæ fluminis tanta Posnaniæ erupit inundatio, vt fratres Carmelitæ sedibus Monasterij relictis, ad montem Sancti Adalberti fugere, & ibidem propè Parochialem Ecclesiam habitare, necesse habuerint, per tres circiter Hebdomadas. Quo tempore ibidem è fratribus septem, pestilentiæ morbo extincti sunt; in ipsa verò Posnaniensi Ciuitate, vltra quinq; hominum millia eadem contagione dicuntur absumpta. Quicunq; tamen in suburbijs Kokendorff, & VVynary, vota ad venerabilem Corporis Christi Ecclesiam faciebant, ij præsentissimum mortis periculum mirabiliter euaserunt.

Vidua quædam ex ea Ciuitatis Posnaniensis regione, quæ ab Arena denominatur, è tumore ventris grauissimas patiebatur infirmitates. Voto ad Ecclesiam Corporis Christi, cum oblatione cerei, & Missæ, ad imaginem præsertim Transfigurati Saluatoris emisso, tumor desedit, & ipsa pristinam sanitatem statim recuperauit.

Matrona quædam morbo pestifero, vnâ cum liberis, in extremum vitæ discrimen adducta, posteaquam die S. Catharinæ votum fecisset, illicò cum suis, sanitati se restitutam vidit.

Baiuli cuiusdam filio, os transuersim in gutture actum cùm

per duas horas, nec hinc, nec indè propelli posset, præsentem perniciem adferebat. Voto per parentes emisso, excidit absq; aliqua pueri læsione.

Anno Domini 1516. Matrona quædam, votum, quod antè festum S. Michaelis pro filio grauiter decumbente, emiserat, sanitate subsequuta, adimplere distulit. Tandem Dominica Quadragesimæ pestifer idem morbus puerum inuadens, matrem voti non redditi admonuit: quod vt præstitit, puer repente sanatus est.

Nobilis Dominus Kampski Posnaniam veniens feria quinta ante Dominicam Reminiscere, subita infirmitate, quam internoscere non poterat correptus, sabbatho ante eandem Dominicam voto piè concepto, sanatus, ad Ecclesiam accedens, peccata confessus, id quod vouerat, sanctè compleuit.

Matrona quædam, feria secunda post Dominicam Iudica, maximo pedum, manuumq; dolore prægrauata, vt mouere se non posset, & à duobus sella gestatoria portaretur, simul ac votum emisit, pristinæ incolumitati est restituta.

P. Stanislaus Bidgostiensis, conuentus Cracouiensis Prior, per annum integrum grauissimo dolore gutturis laborauit, cui nemo Medicorum subuenire potuit. Voto ad visitandam Christi corporis in ciuitate Posnaniensi Ecclesiam facto, conualuit.

Anno eodem 1516. Quidam in Ciuitate Koscyan multo tempore infirmitate maxima grauatus, remedia frustra quærebat. A sacerdote quodam pio monitus, vt ad diuinissimum Christi corpus confugeret, in genua procumbens, & cum præmissa feruenti oratione votum suscipiens, statim ad sanitatem redijt.

Mulieri cuidam de Orzyschewo per decem Septimanas tanto capitis dolore vexatæ, vt sensuum officio destitueretur, vir quidam venerabilis in habitu religioso apparuit; eamq; admonuit, vt votum ad Ecclesiam Corporis Christi faceret, & sanata miraculum in se diuinitus ostẽsum, in Concione ad ædificationem multorum, publicari procuraret. Quod simul vt illa fecit, tanquam squammæ è capite illius ceciderunt, cum quibus omnis morbi violentia abscessit. Cumq; illa interrogaret, quisnam esset, qui sibi tam salubre consilium dedisset, responsum tulit, se Beatum Leonardum esse.

Alia itidem mulier, per annum dimidium, morbum epilepsiæ seu caducum passa, quàm primum votum emisit, ab hac infestatione liberata est.

Posna-

Posnaniensis fœmina, anno integro pedum officio destituta votum fecit, se genibus flexis Ecclesiam Corporis Christi circuituram. Votum sanitas repente consequuta est.

Anno supradicto, 1516. quo tempore Posnaniæ maxima pestis grassabatur, mulier quædam in phrenesim prolapsa, se à Dæmonibus infestari, tanquam eam rapturi essent, vociferabatur. Elapsis non paucis diebus, occurrit illi in visu speciosa quædam domina habitu ornatissimo induta, quamdiu inquiens, hac vexatione detineris? Voto ad visitandum Christi Corporis Ecclesiam te obstringe, & Diuinæ potentiæ gratiam, ipso die Octauæ Corporis Domini publicari procurato; mox à morbo liberaberis. Fecit illa quod monebatur, & statim se incolumem agnouit.

Quædã Domina per biennium morbo Gallico laborans, cùm nullum infirmitatis remedium inueniret, vouit se locum hunc sanctum, cũ tribus alijs propinquis, visitaturam. Subitò sanitatem ita recuperauit, vt in illa ne vestigium quidem fœdissimi illius morbi appareret.

Vicina monasterio mulier, tantas pectoris passa est angustias, vt vix aliqua respirandi facultas illi superesset; voto facto cum oblatione, trahendi spiritus difficultas, repente sublata est.

Anno Domini 1521. Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus Petrus Tomicki ex Premisliensi in Posnaniensem Episcopatum translatus, Torunij cum Serenissimo Poloniæ Rege manens, in grauissimam incidit infirmitatẽ. Vnde Cyczemum migrans, votũ soleñe fecit, visitãdi Corporis Christi Ecclesiam Posnaniæ, cum oblatione cerei, qui staturã corporis eius adæquaret, & corde argenteo deaurato. Repente conualuit, & vota Domino reddidit.

Eodem Anno, Nobilis Dominus Ioannes Goczuchowski propè Toruniam multo tempore tanta ventris tormina patiebatur, vt morbi vim sustinere non valens, per terram hinc inde volutaretur, & mori potius, quàm viuere in talibus ærũnis expeteret. Admonitus à vicinis, statim vt votum ad Corporis Christi Basilicam emisit, eadem hora sanatus est, & ipsa Dominica Trinitatis, votum solenniter adimpleuit.

Dominica infra Octauas Corporis Christi veniens Dominus Petrus Tarnowski, narrauit se cum tota familia grauissimè infirmatum fuisse. Quamobrem omni humano destitutus auxilio, ad Dei solius præsidium confugiens, vnà cum conjuge, & filio, voto se obstrinxit, vt Missæ quindecim, de quinque Christi Domini vulneribus in hoc sacro loco legerentur.

rentur. Ita sanitati cum suis omnibus restitutus est, idq; eo tempore, quo vix aliquis reperiebatur, qui ex infirmitate conualesceret.

Nobilis quidam vir haud procul à Torunia distans, per quatuor Menses, maximis viscerum agitabatur doloribus, vt morti proximus videretur, quam etiam exoptabat. Persuasus ab amico vicino, votum Posnaniam CHRISTI corporis adeundi causa, fecit. Eadem die in Vigilia Sancti Ioannis Baptistæ, morbi vehementiam non amplius sensit.

Paulus Ciuis Posnaniensis, grauissimum capitis dolorem patiebatur. Voto facto, statim liberatur, Dominica festum S. Iacobi subsequente, votum adimpleuit.

Mulier eiusdem Ciuitatis, diuersis calamitatibus afflicta, vsum rationis amiserat. Vbi paululum ad se redijsset, voto concepto, vidit integræ se restitutam sanitati.

Iacobus Daniek Ciuis Posnaniensis, profunda nocte, neminem habens assistentem, vehementi catharro oppressus, suffocabatur. A sene quodam venerando sibi apparente monitus, vt se cum Missa in Ecclesia corporis Christi præsentaret, tanquam è grauissimo somno expergefactus, voto emisso, à præsenti periculo ereptus, euasit.

Fœmina quædam ventris acutissimo dolore per multos dies detenta, curationum remedijs abiectis, voto piè facto, nullam morbi vim deinceps est experta.

Sterilis mulier, cùm per multos annos nullam ex marito prolem suscipere valuisset, ad Venerabile Sacramentum cum orationibus, & voto confugiens, paulò post quod petiuit, obtinuit.

Anno Domini 1522. Mulier ex pede vehementissimè laborans, eius abscindendi periculum videns, voto facto incolumitatem recepit.

Puer per septennium in graui constitutus infirmitate, post votum per suos emissum, Dominica Quarta post Pascha, subitò sanatus est.

Vir quidam de Strzelcze propè Chodziesz per biennium morbo Gallico miserum in modum ita vexatus, vt incedere nulla ratione posset, statim voto facto pustulis è corpore cadentibus, sanus est factus.

Anno eodem 1522. in Vigilia corporis CHRISTI, pater de Polwicā,

Polwicá, filiam per Hebdomadas quinq; ægrotantem, & per quatuordecim dies loquela destitutam, in hoc sacro templo præsentauit; quæ ad Confessionem accedens, & vocis vsum, & integram corporis sanitatem recepit.

Eodem Anno, ipso die corporis CHRISTI venit ad Ecclesiam ciuis quædam Posnaniensis, quæ narrauit, se per triennium morbo Gallico laborasse; & tertio anno fœtum concepisse. Adueniente tempore, tantam partus difficultatem expertam fuisse, vt nullam vitæ spem relictam iudicaret. In his angustijs posita, vbi pulsum campanæ, ad Matutinum officium in Ecclesia corporis CHRISTI, dari audiuit, in genua procumbens, votum pro partu facili emisit, & statim non magno negotio prole feliciter aucta est.

In domo matronæ cuiusdam in ea ciuitatis Posnaniensis parte, quæ Nouus agger appellatur, tres vna, eademq; graui infirmitate correpti, in maximo vitæ discrimine versabantur: quibus pro Christianæ charitatis affectu, eadem domina compatiens, votum pro illis, secundum facultatem eorum ad implendum, emisit, qui statim pristinæ sanitati sunt restituti.

Nobilis Domina Anna Spławska post partum per sex menses infirmitate grauissima detinebatur, & medici de eius curatione, vehementer in sententijs ferendis diffidebant. Maritus Vincentius, ad eum qui solus omnipotens medicus est, confugiens, flexis genibus, vouit, se pedestri itinere suscepto, pedem argenteum Ecclesiæ corporis CHRISTI oblaturũ. Statimq; coniunx, sanitatem recuperauit; & ipse in Octaua corporis CHRISTI, votiuum munus cum gratiarum actione dedicauit.

Honestę cuiusdam matronę filia, consuetudine lasciuarum fœminarum eò deducta fuit, vt pudicitiæ prostituendæ non dubia in ea signa apparerent. Id mater tristis aduertens, & admonitionum, ac custodiæ remedia adhibens, antè imaginem Misericordiæ CHRISTI, quæ non procul ab ostio Ecclesiæ posita est, in oratione prostrata, ardentissimas ad Dominum preces effundebat, vt filiæ prauam inclinationem ad meliorem frugem conuerteret. Id statim subsequutum est, infra Octauas Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ.

Vxor pro infirmo marito, votum emisit, eundemq; sanitati restitutum statim recepit.

Nobilis Domina propè Kostrzym oppidum, partus doloribus per

vnum

vnum Mensem miserè afflicta, & morti proxima ab omnibus derelicta, ab una tantum vetula obstetirice custodiebatur. Quæ illi compatiens genibus flexis, votum pro illa ad sacrum hunc locum fecit. Infirma graui somno videbatur oppressa. Paulò post votum emissum expergefacta, puerulum elegantem cum omnium admiratione, præter expectationem enixa est, circa festum S. Michaelis.

Anno Domini 1524. Dominica Lætare Ciuis Cracouiensis veniens exposuit, fratrem eius germanum graui & diuturna infirmitate detentum, post magnas in Medicos expensas frustra factas, ad extrema deuenisse. Simul ac pro illo votum emisit, à porta mortis reuocatum vidit.

Alius itidem Ciuis Cracouiensis, cum in vehementem incidisset infirmitatem, nec iuuari medicorum opera posset, voto emisso, desideratam recepit incolumitatem.

Balthasar Cracoviensis vnà cum coniuge morbo quodam gravissimo conflictabatur: qui simul vt vouit annuatim se aliquid Ecclesiæ Corporis Christi oblaturum, & suam, & vxoris obtinuit sanitatem.

Mulier ex Hospitali S. Spiritus Posnaniæ, per dimidium anni, manus vsum amiserat, vt illam mouere non posset. Tandem voto ad Ecclesiam corporis Christi, cum oblatione manus cereæ facto, Dominica post Pascha Cantate repente sanata est.

Nobilis Domina propè Hosten, Anno 1525. quo tempore grauissima pestis in vicinia grassabatur, si eam Deus à tali periculo liberaret, vnà cum familia, & subditis, se visitaturam Corporis Christi Basilicam spopondit. Ne vnus quidem puer in villa peste sublatus est.

Adolescens quidam per sex Menses paralysi tactus, voto facto ipso Corporis Christi die sanatus est.

Quædam prægnans mulier in Lubon, opere rustico grauiter concussa, fœtum in vtero per duas Hebdomadas non sentiens, ad extrema fuit deducta. Voto vnà cum matre ad Corpus Dominicum suscepto, periculo liberata, partum feliciter absoluit.

Anno Domini 1526. Mulier grauissima partus difficultate laborans, abortiuo fœtu emisso, in agone versabatur. Maritus pro illa votum fecit, & illico miraculosè conualuit.

Quædam domina grauissima pestis contagione affecta, statim vt votum emisit, è præsenti periculo liberata est.

Ciuis

Ciuis quidam Posnaniensis, pro liberis peste infectis votum fecit, & vitæ restitutos vidit.

F. Ioannes VVernerus sacræ Theologiæ Lector, & Ecclesiæ corporis CHRISTI concionator, memoriæ scripto prodidit Anno 1526. Posnaniæ peste grauissima sæuiente, multa hominum millia è medio sublata fuisse. Quicunque tamen votum ad Basilicam corporis CHRISTI emiserant, quorum certus numerus iniri non potuit, eos periculum euasisse.

Anno Domini 1528. quædam domina Banorowa dicta, cum longo & periculoso morbo conflictaretur, ipso die S. Stanislai Episcopi & Martyris voto facto sanitatem recuperauit.

Nobilis Catharina VVielzynska, famulum ex acuta infirmitate in phrenesim lapsum, vt se & astantes morsibus impeteret, ad Ecclesiam corporis CHRISTI se adducturam vouit; statimq; morbi illius vehementia cessauit.

Simon Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis Vicarius, tam periculosa infirmitate detinebatur, vt nullam vitæ spem sibi superesse videret. Ad solam Diuinæ misericordiæ opem confugiens, votum pro se fecit, cum eiusdem publicatione, statimque perfectam sanitatem ipso S. Michaëlis Archangeli die reportauit.

Catharina quædam iter faciens ex improuiso in tantam prolapsa fuit infirmitatem, vt omnis respirandi facultas intercluderetur, à vectore subleuata, vouit se nudis pedibus Ecclesiam corporis CHRISTI circuituram, & confessione facta, Missam legi cum alijs oblationibus curaturam. Subito conualuit, & votum die SS. Simonis & Iudæ, summa cum deuotione peregit.

Quædam Domina Posnaniæ maximam partus difficultatatem experiebatur, ita vt morti proxima videretur. Voto pro ea per astantes suscepto, ante festum S. Heduigis feliciter prolem enixa est.

Mulier immani dolore capitis oppressa, cùm nullum morbi remedium inueniret, ad Diuinæ gratiæ præsidium confugiens, se cum Missa & Cereo in Ecclesia corporis CHRISTI repræsentaturam promisit. Paulo post omnis illa doloris acerbitas abscessit, post festum Natiuitatis Domini.

Proconsul Posnaniensis Stanislaus Helt, filium Ioannem grauissima infirmitate correptum, vt de vita eius actum fuisse videretur, vouit

cum imagine argentea, & cereo qui staturam ipsius adæquaret, se in templo corporis CHRISTI præsentaturum. Mox puer ad vitam, cum omnium admiratione, reuocatus, parentes maxima affecit lætitia.

Anno Domini 1529. Mulier è graui Capitis dolore, propemodum ad insaniam redacta, hinc inde discurrendo crines capitis vellebat. Voto facto ad se rediijt & sanata est.

Quædam mulier ex morbo Gallico vsum manuum & pedum planè amiserat. Promisit se genibus flexis Ecclesiam corporis Christi & Sacellum, cum oblatione Missæ circumituram. Statim ex magna parte sanitatem & gressus officium recepit.

Alia quædam mulier ex ea Ciuitatis Parte, quæ in Arenis vocatur, pedes habebat ex vi morbi Gallici vehementer inflatos, vt multo tempore incedere non posset. Simul ac votum visitandi corpus Christi emisit, tumor desedit, & rectè ambulauit, visa in Ecclesia post festum Paschæ.

Quidam febre acutissima correptus, & maxima debilitate prostratus, vbi se medicorum opera minimè posse iuuari animaduertit, ad sacratissimum Christi corpus emisso voto supplex confugit, & Dominica Quasimodogeniti, ad sanitatem regeneratus est.

Catharina matrona, ex periculosissimo apostemate, in ore prouenientе, miserè cruciabatur, & ne vi morbi facies putresceret, & tota deflueret, vehementer extimescebat, ac per multos dies, omni ciborum ac potus sustentatione destituebatur. Voto vitæ integra concepto, fœditas & morbi totius molestia recessit.

Cuiusdam fœminæ nepos, in puerili ætate, in morbum periculosissimum incidit, cui cùm valde parentes metuerent, votum pro illo fecerunt, ex quo sanitatem subitò recuperauit.

Dominica Rogationum, quædam domina in maximo vitæ periculo constituta, ad preces & vota confugiens, subitò sanata est.

Quædam pro puero morbo graui oppresso votum fecerat, eoque conualescente, cùm votum indies differret, in multò periculosiorem priore, infirmitatem incidit. Omissione voti prioris admonita, eodem iterato & impleto, incolumitatem filij reportauit.

Mulier quædam grauissimis ærumnis, & filij morositate per annum, vexata, ferè in maniam inciderat, & maligni dæmonis suggestione, quocunque se verteret, funem sibi videbat obtrudi, quo se præfo-

præfocaret: nec ab ea potuit imaginatione & tentatione liberari, nisi voto ad Ecclesiam corporis Domini facto; quo subsequuto, ad pristinam animi reuersa est tranquilitatem.

Barbara coniunx Francisci acuficis in arena, febribus vnà cum filio & vniuersa familia grauissimis laborans, emisso voto, & ipsa & domestici omnes conualuerunt.

Puer in Kokendorff acutissima febri detentus, à parentibus cum voto ad Ecclesiam corporis CHRISTI destinatus, statim sanatus est.

Mulier de Marzenino, duos filios in extremis ferè constitutos, voto visitandæ Basilicæ Vniuersalis Sacramenti obligauit, quos per Diuinam gratiam subitò sanatus recepit.

Puer cuiusdam Posnaniensis filius, longo tempore tanta infirmitate conflictabatur, vt ter in ipso iam agone constitutus videretur. Mœstissima mater vltima necessitate adacta, votum pro filij incolumitate fecit, quæ etiam subsequuta est, quinta post Trinitatis Dominica.

Quidam ex oppido Lobzenica, fracto pede per annum frustra chyrurgicorum opera vtebatur, cum maxima rei familiaris iactura. Voto facto, pedem restitutum vidit.

Mulieris cuiusdam facies intumuit, vt nec oculorum nec oris locus in ea appareret. In medicis nullam sibi spem amplius repositam videns, per emissum votum facies ad pristinum statum redijt.

Quædam mulier multo tempore, membrorum fracturam & debilitatem patiebatur. Posteaquam votum emisit, exoptatam recepit sanitatem.

Stanislai Bothenek sutoris Vxor, habuit Posnaniæ filium qui morbo caduco frequentius laborabat. Cuius infirmitati mater ex animo compatiens, in modum Crucis humo prostrata, eundem in Basilica corporis CHRISTI, se cum oblatione præsentaturam vouit: quod vt factum est, puer nihil tale patiebatur.

Posnaniæ quædam domina (sub idem tempus, quo per totam Prussiam grauissima pestis desæuiebat, ita vt Gedani per triduum, vltra tria hominum millia interirent) eadem pestifera lue per viginti quatuor horas oppressa, iam in extremis laborans, votum ad Vniuersale Sacramentum fecit, & à periculo statim liberata est.

Quidam Posnaniæ ex suburbio S. Adalberti, cùm grauiter infir-

 maretur,

maretur, voto ad Ecclesiam corporis Domini suscepto, sanitatem recuperauerat. Cæterum victui quærendo & operi manuum insistens, cùm voto prædicto satisfacere distulisset, in morbum multò grauiorem incidit, & morti propinquus, votum quod non adimpleuerat, in memoriam reuocauit. Tandem pœnitentia ductus, illud cum certa promissione iterauit: atq; ita restitutus incolumitati, quam Domino vouerat oblationem, humiliter obtulit.

Anno Domini 1531. Generosa Domina Magdalena VVrzeszewska ex diuturno & graui morbo, ad extremi agonis terminum deuenerat. Inspiratione quadam diuina, vota ad visitandum corpus CHRISTI se obstrinxit: & cùm repente conualuisset, cum imagine cerea sibi simili, se in templo præsentauit, & miraculum, populo frequenti ad diuina congregato, Dominica Reminiscere publicari curauit.

Ex ea suburbij Ciuitatis Posnaniensis platea, quam pileorum conficiendorum artifices inhabitant, filius mulieris, Zeliezina nuncupatæ grauissima correptus infirmitate, extremum Spiritum videbatur exhalare matre, Missam, oblationem, & beneficij Diuini denunciationem publicam promittente, Dominica Conductus Paschæ conualuit.

Eadem Dominica, Valkierowa Ciuis Posnaniensis, morbi vehementia ad vltimum vitæ terminum deducta, cum loquelam amisisset; & bis, in actu moriendi, cereum oblatum excepisset, per astantes voto emisso, cum oblatione, sanata, Missam votiuam cum gratiarum actione, cereo suæ staturæ præsentato, decantari solenni ritu procurauit.

Stanislai Kleczewski conjunx ex platea VVronicensi, cum per totam Quadragesimam morbo vehementi lecto affixa esset, vouit se Ecclesiam corporis CHRISTI genibus flexis circumituram, tria Missæ sacrificia ibidem celebrari curaturã, in honorem Vniuersalis Sacramenti, & cereum suæ altitudinis templo præsentaturam. Statim lenis auræ cuiusdam afflatu, sibi restitutam sanitatem experta, votum religiosè adimpleuit, & Diuinum hoc beneficium, in Concione Dominica Rogationum, publicè denunciari fecit.

Filia virgo nobilis Dominæ Bilocka, per quatuor Hebdomadas morbo grauissimo detinebatur, appetitu planè deiecto, vt septem dierum spatio, nihil degustaret, ac per triduum loquela destitueretur, nec aliud quàm vitæ exitum exspectaret. Mater illi compatiens, votum pro illa ad locum hunc sacratissimum emisit, cum lachrymis in genua

deuotissime

deuotissimè procumbens. Puella ad votum huiusmodi, sublatis & compositis manibus, matris promissionem, ad DEVM suspirans, assensu suo comprobauit. Paulò post restituta pristinæ sanitati, Ecclesiæ se vna cum matre, conducta Missa, & oblato cereo præsentauit, & miraculum publicari fecit, feria tertia post quartam Dominicam Paschæ, Anno Domini 1531.

Quidam acufex in arenæ Vico, vnà cum coniuge sua per duos & amplius menses, grauissimas patiebatur infirmitates. Cumq; se in extremis positos vterq; vidisset, voto coniunctim magna cum deuotione emisso, Diuina benignitate viderunt se incolumitati restitutos, & vota die SS. Philippi & Iacobi Domino cum gratiarum actione reddiderunt.

Margarita Baiorowna, per integram Quadragesimam, vsq; ad feriam tertiam Conductus Paschæ decumbens, maxima premebatur infirmitate; vt de ea planè fuerit iam conclamatum. Voto per suos facto, conualuit; & cum Missa & oblatione cerei, ad corporis altitudinem formati, in Ecclesia comparauit.

Alia quædam matrona, grauissimos pedis dolores perpessa, voto facto, cum oblatione sacrificij, & cerei pedis, illico sanata est.

Puer aliquot annorum, matronæ Iosefowæ filius, Anno prænominato 1531. per duodecim integros & amplius Menses diuersis infirmitatibus detinebatur, ad extremum facie & collo intumescente, nulla spes in eo salutis apparebat. Parentibus vota pro eius incolumitate facientibus, omnis languor abscessit; & Missa solenniter de Diuinissimo Sacramento decantata, ac statua puerili quæ magnitudinem infirmi adæquabat, oblata; debitæ Domino DEO gratiarum actiones, feria quarta ante Dominicam Rogationum redditæ fuerunt, puero ipso eleemosynas proprijs manibus ibidem distribuente.

Anna fabri ferrarij ex suburbio noui aggeris vxor, habebat enatum in pede apostema; quod per septem continuas Hebdomadas nullam admittebat curationem, & acerbissimos propter venarum & ac humorum in affectam partem concurrentium, illi dolores infligebat. Tandem post innumera frustrà tentata remedia, votum ad Ecclesiam corporis CHRISTI, cum Missa & cerei pedis oblatione, fecit; & repente ab illa calamitate liberata, Dominica infra Octauas Ascensionis Dominicæ, voto piè suscepto satisfecit.

Filius paruus Annæ Kaliethnieczki de Budy, ex infirmitate graui

ad extremum agonem deuenerat. Mater voto pro illo, cum Missa & oblatione, facto; sanum recepit, & eadem Dominica miraculum publicari fecit.

Generosa Catharina Chobielska, per vnius anni spacium acutissimos in brachio patiebatur dolores, enatis in digitis vlceribus, & vulneribus, ita vt caro putresceret. Simul vt votum emisit, se pedestri itinere Basilicam V. Sacramenti, cum Missa & manu cerea visitaturam, statim conualuit, & votum in Octaua Ascensionis Domini persoluit.

Margaretha ex Vico Arenæ, ad mortem decumbens, voto emisso conualuit, & cum Missa pro gratiarum actione oblationem præsentauit ipso die Corporis CHRISTI, Anno 1531.

Heduigis negotiatoris Posnaniensis cuiusdam coniunx, cùm esset grauida, multo tempore infirmabatur, in medicos è facultatibus suis non pauca frustra impendens. Tandem ad Deum præsentissimum totius humanæ infirmitatis medicum, confugiens, votum emisit, se ab eo ponte, per quem ad plateam artificum qui pileos conficiunt descenditur, vsque ad Ecclesiam gloriosi corporis CHRISTI, genibus positis perrecturam, & Missæ sacrificium cum oblatione procuraturam. Statim & ab infirmitate diuturna sanata, & fœtum absq; magna aliqua partus difficultate, feliciter enixa, miraculum diuinitus in se ostensum, infra Octauas corporis CHRISTI, in eadem Ecclesia publicari fecit.

Equi cuiusdam Chvvalissżcuiensis oppidani, morbo inopinato eodem graui, ad exitium vltimum deuenerant. Voto per eum facto periculum euaserunt.

In eadem ciuis huius domo, puer incautè lapillum deglutiuerat, & intercluso gutturis halitu, videbatur in extremis esse constitutus Voto pro illo facto, lapis è faucib. exsilijt, & puer ab interitu vindicatus.

Andreæ Dambrovvski famulus, trium Hebdomadarum infirmitate, ad extrema deductus, voto per assistentes emisso, statim conualuit, & cum oblatione, feria tertia post festum corporis CHRISTI, in Ecclesia eiusdem compauit. Anno 1531.

Frater Petrus Swizkála Presbyter Ordinis Carmelitani, per annos tres, grauissimam pectoris infirmitatem passus, in qua curanda, non mediocres in Medicos sumptus impenderat, ad cœlestem medicum, qui præsens in diuinissimo Sacramento adest, confugiens, & vota domino reddens, pectoris integram recepit sanitatem. Adalber-

Adalbertus è ciuitate Gneſnenſi Presbyter, per quinque ſeptimanas diarrhœam ſanguineam perpeſſus, extremum vitæ Spiritum trahebat. Votum, quod emiſerat, ſanitas ſtatim eſt ſubſequuta: quam ſacrificio, oblatione, & miraculi publicatione, teſtatam omnibus reddidit.

Puerum ex oppido Lvvovvko, annua vexatum infirmitate, parentes Eccleſiæ Corporis CHRISTI ſe repræſentaturos promiſerunt. Sanatum, cum ſacrificijs duobus, ex cereo ſuæ ſtaturæ, in templo ſtatuerunt, Anno 1531.

Eodem Anno, puella quædam de Czyclenino, Anna nomine, gutturis & dentium grauiſſimo dolore, in tantum affecta, vt vſum loquelæ nullum amplius haberet; parentibus, qui calamitate filiæ vehementer mouebantur, votum facientibus, ad ſanitatem redijt; & cum Salutaris hoſtiæ oblatione, cerei qui corporis magnitudini reſpondebat, donatione, ac miraculi denuntiatione, in Eccleſia viſa eſt.

Thomas de Pirſchno fluxum ſanguinis per Hebdomadam vnam patiebatur. Voto pedeſter eundi ad Eccleſiam corporis CHRISTI, cum Sacrificio Miſſæ, & cereis oblationibus, emiſſo ſanitatem recuperauit, & miraculum publicari fecit, in Octaua Corporis CHRISTI Anno 1531.

Puer filius cuiuſdam Chwaliſſzewienſis, qui cingulorum parandorum artem exercebat, cùm grauiſſima detineretur infirmitate parente pro eius incolumitate, ad Eccleſiam orporis CHRISTI, & S.Nicolai votum emittente, ſanatus eſt. Hunc pater ad Eccleſiam S. Nicolai, qui Chvvaliſſevvienſis oppidi patronus tutelaris eſt, primùm deduxit, viſitandi corporis CHRISTI, obligationem, præ obliuione, poſtponens. Non ita multo poſt, puer idem in morbum priore longè vehementiorem & periculoſiorem relapſus eſt. Pater voti prætermiſſi negligentiam in memoriam reuocans, & delicti veniam ſupplex expoſcens, votum denuò repetiuit, & ſtatim filium periculo vidit ereptum; quem eum oblationibus, in templo corporis CHRISTI præſentauit.

Ioannes piſcator cognomine Niger, cùm in itinere quodam in morbum grauem incidiſſet, & de vita dubitaret, voto ſuſcepto ſanitati reſtitutus eſt, & accepti beneficij memoriam templo reliquit.

Sanctimonialis Ordinis S. Dominici per annum, maximos infirmitatũ dolores ſuſtinens, voto facto conualuit, cùmq; gratiæ diuinitus,

oſtenſæ

ostensæ publicationem intermisisset, in grauiorem morbum reincidit. Repetito voto sanitate recuperata, priorem negligentiam, debitæ promissionis exhibita solennitate in S. Ioannis Baptistæ festo compensauit.

Simon fabri ferrarij socius, in Vigilia S. Iacobi Apostoli repentino morbo oppressus, cum morte luctabatur. Emisso voto, vitam recuperauit, de qua in diem subsequentem nihil sibi pollicebatur.

Puella de Suchylas, trium Hebdomadarum infirmitate ad extrema deueniens, voto cum oblatione facto, sanata est.

Petrus Ciuis oppidi Obornicensis, per Hebdomadas quinq; maximo valetudinis affectus incommodo, post emissum votum, statim se sensit eo liberatum.

Andreas Mazur ex Aggeris noui Posnaniensi suburbio, febris acutissimæ molestia vehementer concutiebatur. Vxor ad Ecclesiam corporis CHRISTI veniens, vota pro eius salute fecit: domum reuersa, incolumem reperit. Eiusdem duo equi, cùm Vratislauiam proficisceretur, repentino casu progredi non poterant. Voto per eum facto, feliciter susceptum iter peregerunt.

Ex eodem Aggere nouo, matrona Oremusowa, molestissimos febris ardores patiebatur. Statim vt votum ad Ecclesiam corporis CHRISTI emisit, cum pattrocinij S. Adalberti ex ordine Carmelitarum gloriosi confessoris inuocatione, & aquæ benedictæ, cum eiusdem Sancti suffragio, adhibita potione, vidit se restitutam sanitati, miraculumque publicari curauit.

In arenaria platea Posnaniæ quædam Barbara Chroma ex casu fortuito, manum grauiter læsit, ita vt per Hebdomadas quinq;, vsu eius destitueretur. Voto emisso manus ad officium redijt, quam è cera formatam templo repræsentauit.

Ex eodem loco, matrona quædam Przenieznikowa cognominata, febribus acutissimis multo tempore vexata, voto facto de duabus Missis procurandis, quarum vna de corpore CHRISTI, altera de S. Adalberto Carmelita confessore, celebraretur; statim liberata est.

Martinus ex oppido Kcynia, per vnum & amplius mensem maximas patiebatur infirmitates, quarum vehementia ad extremum propemodum vitæ terminum deuenerat. Voto magna cum fide religiosè suscepto, sanitatem recuperauit, miraculumq; in se diuinitus ostensum, ad publicam in concione notitiam deduci procurauit.

Ioannes

Ioannes ex Maiore Lyuthom, ex morbo graui in phrenesim inciderat, vt vinculis coërceri debuerit. Voto per vxorem eius facto, sanatur.

Petrus de Czyrlienyno per per 2. Menses, morbo vehementiore detinebatur. Voto de tribus Missis de diuinissimo Sacramento legendi emisso, statim conualuit, & venerabundus Ecclesiam Christi corporis visitauit.

Quidam molitor vnius anni spacio, membrorum omnium incredibili languore & dolore premebatur. Post emissum votum, conualuit.

Anno Domini 1532. Franciscus acuum conficiendarum magister, multo tempore, graui capitis dolore, cordis tremore & respirandi difficultate vehementer laborabat. Voto facto sensit se restitutum sanitati.

Thomas tinctor, Toruniam proficiscens, in morbum vehementem repentè prolapsus, voto facto, Posnaniam se reduci iussit, & beneficium incolumitatis illicò reportauit.

Stanislaus brasiatoris socius, ex infirmitate graui sensum auditus omnem amiserat, idque non paruo tempore. Vt votum fecit adeundi corporis Christi, cũ Missa & beneficij publicatione auditũ recu perauit.

Valentini piscatoris vxor, morbo caduco pluries concutiebatur: cumque in medicinis nihil eam iuuantibus multa consumpsisset, ad sanctissimum corpus CHRISTI, cum votiuo sacrificio & oblatione, supplex confugit; atq; ita à molestissima infirmitate statim liberata est.

Mulieris cuiusdam de Gizycce filia, per annum dimidium circiter, hydropisi laborabat. Voto per matrem facto, tumor ille aquosus abscessit.

Frater Marianus ordinis S. Francisci de obseruantia & Confessarius sororum dicti ordinis, per biennium quartana febri detinebatur. Remedijs omnibus frustra tentatis, vouit se Missam in Ecclesia corporis CHRISTI, in finem liberationis suæ lecturum. Reliquit eum statim febris, & votum Sabbatho antè Dominicam Conductus Paschæ persoluit, Anno 1532.

Agnes ex Arenæ platea, quæ Cereuisiæ propinationem publicam exercebat, acutissimæ febris molestias, diebus plurimis experiebatur. Voto facto liberatam se vidit.

Sutor Spetha è Stelmachorum suburbio, grauissimos febris ardores perpessus, emisso voto, gratiam sanitatis obtinuit.

e Anna

Anna Myenczowna de vico piscatorum, per sex menses continuos, febrium varios & multiplices calores, viribus exhausta sustinebat. Statim vt se voto, de Missa & oblatione repræsentanda, obligauit; morbus languor omnis euanuit.

Anna Popyclina ex Vratislauiensi platea, morbo vehementi conflictabatur. Nuncupato voto, se sentit incolumem.

Nobilis Domini Szcitnicki filius, non absque mortis periculo grauissimè infirmabatur. Voto per parentes emisso, cum Missis & oblationibus, ad sanitatem pristinam redijt.

Ioannes Gruszeinski Gnesnæ, manus contractæ dolores maximos patiebatur. Promisit se pedestri itinere Basilicam corporis CHRISTI devotè visitaturum, & sacrum Missæ sacrificium ibidem legi curaturum. Consolatus est eum Dominus, & omni molestia liberauit.

Ioannes Czarny ex vico Piscatorum, maximas circa cor angustias, quæ respirandi facultatem illi adimebant, experiebatur: à quibus voto emisso, redditus est immunis, & promissionem suam cum Missa, cereo, & miraculi publicatione, Domino persoluit.

Heduigis Kozlowa de Kundorff, diu morbo & quidem graui premebatur, itá vt de vita vix aliquam spem sibi relictam arbitraretur: quæ tamen, voto facto, diuinitus illi restituta est.

Mulier Pszenicznikowa nominata, propè pontem, per quem ad Ecclesiam Corporis CHRISTI venitur habitans, magno gutturis infestabatur dolore. Voto cum sacrificij Missæ & oblatione cerei suscepto, nullam sensit amplius molestiam.

Eiusdem filia Margarita, capitis & dentium dolore in tantum premebatur, vt faciem eius tumor, hydropisi non absimilis, occupasse, non sine spectantium horrore palàm videretur. Per emissum votum, ad CHRISTI corporis auxilium confugiens, morbo periculoso releuata est.

Chwalikowska nobilis fœmina, non procul ab oppido Slupcensi distans, maximum per vnius anni spatium pedis dolorem patiebatur; vt incedere nulla ratione posset. Duarum Missarum cum oblatione, facta promissione, sensit sibi pedis vsum, Diuina benignitate restitutum.

Gregorius Thasznik ex Arenæ platea cum coniuge Anna, ob grauissimos Stanislai filij morbos & languores vehementer contristati, non paruo tempore, in magnam itidem inciderunt infirmitatem. Videntes se in miserabili vitæ statu constitutos, vnanimiter votum emiserunt, de Missa cantata cum cerea pueri imagine, in templo præ-

sentan-

ſentanda. Starim omnes conualuerunt; & voto deuotè concepto ſatisfecerunt.

Vxor cuiuſdam Molitoris in oppido Kćynia, præ nimia iracundia, quam erga maritum conceperat, in tantam phreneſim incidit, vt maximum viro totique familiæ negotium faceſſeret, huc illuc currendo: noctis quietem interturbando, verberibus obuios impetendo. Maritus eius calamitate permotus, votum pro illa, deuotione quâ maximè poterat, emiſit: atque ita ſanitati priſtinæ reddita, in templo cum oblatione paulò poſt comparuit.

Anno Domini 1533. Henricus Szmalc Proconſul Poſnanienſis, Lublini cùm eſſet; infirmitate grauiſſima correptus eſt, vt mortuus potius quam viuus ab adſtantibus iudicaretur. Ad ſe tamen in ipſa morbi vehementia vtcunque reuerſus, voto viſitandi Eccleſiam corporis CHRISTI, cum Miſſa ſolenni, eleemoſyna, ac cereo ſuæ ſtaturæ facto, repentè conualuit.

Eiuſdem duo pueri, vehementi gutturis dolore laborantes, poſt emiſſum votum, ſanati ſunt.

Generoſus Dominus Puczolowski, fracto crure, ſummam doloris acerbitatem patiebatur, nec aliquam incedendi facultatem ſibi reliquam arbitrabatur, niſi ab ipſius Dei miſericordia: ad quam ſupplex, per emiſſum ad Eccleſiam corporis CHRISTI votum, confugiens, pedem ſibi reſtitutum vidit, & oblationes pro tanti miraculi memoria, templo præſentauit.

Matronæ cuiuſdam puerum de piſcatorum platea, morbus hydropiſis corripuerat, & in extremum vitæ diſcrimen adduxerat. Voto per illam Diuiniſſimo CHRISTI corpori facto, puer vim infirmitatis effugit.

Fœminæ Pobiedziſcenſis è pedibus vehementer laborauit: quibus remedium fuit, votum ad Eccleſiam Corporis Domini emiſſum, cum oblatione pedum ex cera formatorum.

Sculteti de villa Czerslenino coniunx, fractis pedibus, & ambulandi poteſtate priuata, voto ſuſcepto conualuit, & cereos pedes obtulit.

Ioãnis Buthny ex ſuburbio Kundorff puer, in pedis vnius genu, grauiſſimam patiebatur infirmitatem. Poſt votum ſuſceptum, nullam ſenſit amplius moleſtiam.

Proconſulis Poſnanienſis Schmalcz puer, magna detinebatur in-

firmitate, ita vt propemodum in extremis esse constitutus videretur. Voto per parentes, emisso, de illo cum imagine cerea, quæ staturæ eius conformis esset, in templo præsentando, languor omnis abscessit.

Anno Domini 1534. Balthasar textor, in grauissimá constitutus infirmitate, per biduum omnem vocis vsum amiserat. Voto per assistentes illi, ad locum hunc sacrum facto statim conualuit.

Dorothea pistoris coniunx propè cæmiterium Sanctorum omnium, morbi vehementia manus officio destituebatur, ita vt parylisi videretur affecta. Vicini, qui miseriam eius contemplabantur, votum pro illa fecerunt, quæ statim pristinæ sanitati restituta fuit.

Nobilis Zaworski, morbo graui propemodum deficiens, se locum hunc visitaturum, cum cereo suæ staturæ promisit, & integram recuperauit sanitatem.

Simon famulus Stanislai Kossika de villa Gluchowo, quinquies morbo caduco concussus erat. Voto per domesticos facto, solutus est ab eiusmodi infestatione.

Heduigis Bochenkowa Sartoris Alberti coniunx, è diuturna languoris acerbitate, rationis vsum perdiderat, & ad vitæ terminum deuenerat. Marito votum emitente sanata est.

Catharina de villa Sciessyel, in extremis versabatur, Maritus pro ea sollicitus, votum fecit, vt Ecclesiam ter circumiret, & oblationem pro facultate Domino offerret, illico vidit incolumitati restitutam.

Anno Domini 1535. Femella trium annorum, filia nobilis matronæ Skorgesszewska, propè oppidum Crobya morbi caduci grauissimam patiebatur vexationem. Mater mœstissima, filiæ incolumitatem procurans, ac in DEI solius auxilio spem omnem repositam habens, cũ ea peregrinationem suscepit, ad sacra loca Clari Montis Czenstochouiensis sanctæ Crucis, & tumulum Diui Stanislai Cracouiam. Neque tamen inde consolationem reportauit. Posteaquam autem, votum pro ea ad Sacratissimi CHRISTI corporis Ecclesiam, pie suscepit, nulla mora longiore interposita, maxima cum lætitia sensit filiam charissimam, à tam atroci morbo penitus liberatam.

In villa Sczytniki, adolescentem pecora pascientem, serpens ictu mortifero grauissimè circa genu læsit. Præsentius remedium in summo dolore nullum adhibuit, præter votum ad Ecclesiam diuinissimi corpo-

-ris CHRISTI factum, quod illi, veneno profligato, salutem peperit.

In platea VVronicensi, adolescens vlceribus in pedibus enatis dolores & molestias plurimas patiebatur. Voto per parentes facto, noxiis humoribus sensit se statim liberatum.

Anno Domini 1538. Valentini Milek coloni Crirowiensis puerulus, per aliquot menses epilepsiæ morbo detinebatur. Parentibus vota pro illo nuncupantibus, omni deinceps molestia caruit.

Anno Domini 1541. Stanislaus à Radziciow, per annum integrum, vehementer fluxu sanguinis infectabatur. Votis ad multa loca sacra factis, nullam morbi sensit releuationem. Tandem supplex ad Ecclesiam corporis CHRISTI Posnaniam voto directo, sensit illicò se liberatum.

Anno Domini 1551. Ioannes Barlozek ex oppido VVagrouecensi, paralysi tactus, per biennium lecto affixus decumbebat. Cum nulla spes salutis appareret, admonitus à suis, vt ad corpus CHRSTI voto se obstingeret, cum vehiculo impositus Posnaniam proficisceretur, in via statim conualuit, & promissioni factæ satisfecit.

Iaroszy Aduocati Posnaniensis vxor, cum duos filios maxima infirmitate prægrauatos videret; quorum vnus extremum quodammodo, spiritum ducebat, votum pro illis magna in Deum fiducia concepta emisit, quam Dominus statim consolatus est, sanitate filijs restituta: quos cum oblatione, & sacrificio solemni ritu decantato, ac eleemosina competenti, in hoc sacro templo præsentauit, in festo Pentecostes, eiusdem Anni 1551.

Coloni cuiusdam ex villa Sliwnina, propè Schamotulos filius, morbo caduco vexabatur. Parentes ea re vehementer afflicti, ad voti præsidium pro eo feruenter emissi, confugerunt, cumque tali molestia liberatum statim conspexerunt, & beneficij accepti memoriam in hoc sacro templo reliquerunt.

Anno Domini 1602. Iacobus ex Starozaturrya, morbo grauissimo correptus ad extrema deuenerat. Voto per Sacerdotem illi assistentem emisso, statim conualuit.

Anno 1603. Faber ædificia lignea constituens, Posnaniæ vehementem morbum contraxerat. Voto ad beatissimam virginem Czenstochouiensem pro illo, per suos emisso, nullam sensit infirmitatis releuationem. Cumque in extremis positus accensum cereum, per adstantes

 exhibitum

exhibitum apprehendisset, incidit illi repentè in memoriam gloriosi corporis CHRISTI Ecclesia. Ad quam voto cum suspirijs deuotè facto, tanquam è grauissimo excitatus somno, in lectulo consedit, & die tertio, sanus & incolumis, præter omnium expectationem, qui eum in mortis articulo viderant constitutum, in Ecclesia cum oblatione gratiarum actionis, comparuit.

Anno eodem cùm studiosus quidam, qui literis operam in Collegio Societatis IESV Posnaniæ dabat, 13 Calend. Iulij, in febrim quotidianam incidisset, medicis de salute ipsius abdubitantibus, voto facto, ad Ecclesiam corporis CHRISTI sibi confugiendum putauit, morboque abscedente, ad v. Calend. eiusdem Mensis votum Domino persoluit.

Anno 1604. Petrus Erasmi ex Dupiewo pedes habens fractos. per amicos, voto ad Basilicam Diuinissimi Sacramenti obstrictus, in eamq́ue delatus, statim gressus officium sibi sentit restitutum.

Fœlix generosi Domini Przeslavvski Mensæ structoris Posnaniensis, filius ex infirmitate grauissima, ad vltimum vitæ propemodum deuenerat terminum. Voto facto, conualuit,

Paulus Pyeciozka ex Chodieş à multo tempore mutus, postéaquā ad Ecclesiam corporis CHRISTI venit, loquelam recuperauit.

Mortui resuscitati,

CAPVT IV.

ANNO Domini, 1493. In oppido Ponyec, puer quidam per horam mortuus iacuit. Voto pet parentes emisso ad vitam reuocatur.

Matrona quædam puerum est enixa, qui per duas horas planè mortuus & exanimis iacuit. Voto per parentes facto rediuiuus confestim apparuit.

Anno Domini 1488. Hæredi villæ Maioris Strzedziévvo circa noctis medium natus est mortuus. Vniuersa familia propter tam miserabilem casum, in planctum resoluta, pater mœstissimus eam admonuit, vt multiplicatis precibus supplices Diuinam misericordiam inuocarent, in cuius potestate mortis & vitæ facultas reposita est. Votis & precibus

ad Deum

ad Deum ardenter effusis, post horas quatuor, vitæ puer est redditus, omnibus Dominum in eius mirabilibus laudantibus, & vota sacratissimo huic loco reddentibus.

In suburbij Posnaniensis villa Kukendorff nominata, quædam ancillæ, Dominica infrà octauas Ascensionis Dominicæ capitis crines cōplicans repentina morte sublata est, in area iacens exanimis, votis pro illa per adstantes emissis, ad vitam reuocata est.

In villa Stavviona, puer quidam calcibus equi percussus, occubuit. Parentes inopinata filij morte conturbati, vota pro illo fecerunt & diuinitus sibi viderunt restitutum.

In Vscye colonus quidam terram aratro proscindens iratus filium in tempora stiua percussit, qui subitò mortuus corruit in terram. Pater facti vehementer pœnitens, defuncti cadauer complexus votum pro illo nuncupauit, statimque, qui erat mortuus reuixit.

In oppido Kobelinensi, quidam trabe domus nouæ in illum cadente, spina dorsi & pedibus fractis, pro mortuo habebatur. Voto per vicinos emisso, mirabiliter ad vitam reuersus est.

Nobilis quidam non procul ab oppido Stzodensi manens, stabulum aliquando ingressus, in terram repente corruit, & loquela destitutus animam agebat. Matre & vxore accurrentibus, eumque pro deplorato habentibus, votum nihilominus ab illis, pro illo factum est. Paruo tempore interiecto, veluti è somno excitatus, moueri cœpit, & vitalem auram resumpsit.

In Prussia propè Mariæburgum, puer annorum quatuor, casu in cultum tam grauiter corruit, vt ferrum in viscera adactum, extremitatem per spinam dorsi protulisse visum fuerit. Chirurgis aduocatis, & nullum vitæ retinendæ remedium adhiberi posse affirmantibus, mœstissima mater agonizantem filium videns, circa medium noctis in genua procedens, votum fecit; se pedestri itinere Christi corporis Ecclesiam Posnaniæ, quæ quadraginta milliaribus ab eius domo distabat, deuotè visitaturam, si Diuina maiestas, filio vitam restitueret. Exaudiuit eam dominus, & puerum rediuiuum, post mensem tertium in templo cum oblatione repræsentauit.

Anno Domini 1504. Catharina virgo Magnifici Domini Pampovvski Capitanei Posnaniensis filia, feria tertia infra octauas Assumptionis B.V. Mariæ, matrem e untem ad prandium, per curritorium Arcis, sequuta,

quuta, cùm lacunam in tabulato pauimenti præ vetustate scatentem, transilire, more aliarum puellarum non posset, in terram altitudine sexdecim cubitorum distantem, cecidit, & collisa exspirauit. Mœstissimi parentes cum vniuersa familia, ad emittenda vota supplices sibi confugiendum arbitrantes, Diuinæ voluntati quidnam de puellula statuere vellet, rem totam permiserunt, plurimis exemplis edocti vota vt plurimùm optimè succedere, quæ ad ecclesiam corporis Christi deuotè suscipiuntur. Paucis horis interiectis puella surrexit, nullis in ea tam horrendi lapsus apparentibus vestigijs. Deducta est postea ad Ecclesiam, cum gratiarum actione, & statuæ Cereæ, quæ staturam eius exprimebat, oblatione.

Anno eodem 1504. in quadam villa quinque milliaribus à Posnania distante, colonus cum vxore tempore messis in campos euntes duos pueros domi reliquerunt: qui cùm per pagum vagarentur, desertam quandam veterem casam ingressi ludis puerilibus vacabant. Mox turbine cum validissimo vento consurgente, ædificium illud corruit, & pueros oppressit: pro quibus cùm votum parentes fecissent, ad vitam Diuino miraculo reuocati sunt.

Puella in minori Goslina, die natiuitatis B. Virg. Mariæ vt fornacem restauraret, argillam fodiebat: cumque in cauernam longius progressa esset, ita Deo permittente, ruina terræ miserabiliter extincta, ibidem vltra tres horas mortua iacuit. Parentes reiecta humo, simul vt pro defuncta votum conceperunt, eam incolumem receperunt.

Puerum minorennem parentes in ædibus reliquerunt solum: qui foras egressus, sedens apud sepem, cultello hinc inde vibrato ludens, ventrem transfixit, & per quatuor horas in sanguine volutatus, repertus est à matre ex pratis reuersa propemodum mortuus. Vxor à marito sibi, ne eam interficeret, metuens, in summas angustias redacta, fuga sibi quærere salutem constituerat. Interea quædam fœmina, quæ illam in tanto luctu consolabatur, suggessit illi, vt votum pro filio morituro ad Ecclesiam corporis Christi faceret: quod vt præstitit, puer ab interitu vindicatus est.

Anno Domini 1508. Puer quidam in Grodzisko, cellarium ingressus, in quo recens decocta cereuisia vapores calidissimos exhalabat, vertigine correptus corruit, & exspirauit. A parentibus elatus, omniq; vitali aura destitutus, deplorabatur. Qui luctus acerbitate confecti, ad memo-

memoriam corporis CHRISTI voto pro filij salute concepto, confugiendum putarunt. Atque ita resuscitatum intrà vnius horæ spatium viderunt.

Anno 1510. Ancilla pro adferenda cereuisia ad propinatorem missa cum domum rediret, puer hospitæ, dari sibi cantharum ad deferendum vrgebat; quòd cùm propter effusionis periculum denegaret ancilla, puer ex iracundia repentino symptomate correptus cecidit, & manibus pedibusque in longum extensis exanimis iacuit. Parentes cadauere sublato, votum pro filio fecere, qui statim vitæ restitutus est.

Eodem Anno, feria sexta, festum Sancti Ægidij, quod Calend. Septembris, celebratur, antecedente, filius Matthiæ Kurnitzki defunctus est. Voto per patrem facto, reuixit; & cum imagine cerea in templo præsentatus est.

Anno 1512. Puer validissimo ictu, in oculum cultro ita percussus, vt cerebrum efflueret, & mortuus conciderit, post votum emissum à circumstantibus, ad vitam redijt, & cultrum tanti miraculi testem, in sacra Capella deposuit.

Mulier in lecto noctu dormiens, infantem quem penes se posuerat, casu oppressit. In angustijs constituta, timens ne à Magistratu supplicio extremo mulctaretur, accepto in vlnas puero ad Ecclesiam corporis CHRISTI deuotissimè confugit, innocentiam suam Diuinæ bonitati commendans: vbi cùm in Missa, sacrosanctæ hostiæ eleuatio fieret, infans repentè vitæ restitutus est.

Puer in Stessevv ingressus cellarium, in quo cereuisia recens illata, vapores mortiferos emittebat, statim suffocatus, per parentes extractus est mortuus: cumque tribus horis vitali spiritu destitueretur, voto per suos concepto, reuixit.

Anno 1514. Lithuanus in Ciuitate Grodnensi, correptus iracundia, vxorem pugno percutere volebat; quæ in eodem ictu, puerum quatuor & amplius mensium, quem in sinu tenebat, eidem opposuit. Infans paterna manu tactus atrociter, occubuit illicò: & ferè per triduum mortuus iacuit, parentibus tam miserabili casu consternatis. Qui vt se recolligerunt, audita miraculorum fama, quæ apud Ecclesiam corporis CHRISTI Posnaniæ diuulgabatur, votum pro filij salute fecerunt, quem resuscitatum cum gratiarum actione, in templo statuerunt.

Anno 1517. In oppido Bukouiensi, feria sexta antè Dominicam

Passionis,

Paſſionis puer duorum annorum filius Nobilis viri Grodtzinski, graui infirmitate detentus exſpirauit. Poſt votum à parentibus emiſſum, vitam recuperauit.

Anno 1521. Viro abſque Confeſſione ſacramentali repentina morte ſublato, vxor pia vehementer condolens, & de animæ defuncti ſalute ſollicita, votum poſt vnam & amplius, à tranſitu eius horam, in genua prolapſa fecit pro illo: qui ſtatim rediuiuus, & peccata commiſſa confeſſione expiauit, & incolumis diu permanſit.

Anno 1523. Adoleſcens quidam pro hauriendo aceto miſit ancillam in cellarium, recenti cereuiſia refertum, quæ non ferens vim exhalationis corruit; cumq; haud exigua mora interiecta non compareret, Michaël hoſpes oppidi Goſtin, famulum ire in cellarium iuſſit, vt videret quid ageretur de ancilla; qui ingreſſus ſibi mortuam conſpexit, ipſe quoque syncopen paſſus, redire non potuit. Tandem hoſpes aduocata familia accurrit, & vtrunq; extrahi curauit. Et famulus quidem, ad ſe redijt, ancilla verò per duas horas exanimis planè iacuit. Pro qua cum hoſpes Michael votum emiſiſſet, vitæ prioris beneficium ancilla recepit.

Anno 1531. Feria ſexta feſtum Corporis CHRISTI ſubſequente, puer in Blaſij Kapiczka domo, in platea VVronicenſi ſita, fletu nimio ſuffocatus, per dimidiam horam iacuit exanimis. Parentibus & vicinis lachrymantibns, votum ad corporis CHRISTI memoriam occurrit: quo emiſſo, puer ſternutauit & reuixit.

Anno eodem, puella quædam in Gozdzikowo, præ infirmitate, in extremo agone conſtituta erat. Voto per adſtantes facto, ſubitò ſurrexit incolumis, & in feſto Sancti Michaëlis in Eccleſia cum oblatione, comparuit.

Anno 1532. In platea VVronicenſi, pellificis cuiuſdam puer, grauiſſimo detentus morbo, ſpiritum exhalabat, cereo benedicto in manibus eius accenſo. Soror matris ~~eius~~, ſimul ac votum emiſit pro eo, à morte ad vitam redijt.

Gertrudis Arcularij in ciuitate Poſnanienſi coniux ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, cum morte luctabatur. Cui quamprimum ſacer corporis CHRISTI locus in mentem venit, voto facto, ex ipſis mortis faucibus erepta, vota ſua Domino reddidit.

Anno 1534. Puer in platea VVratiſlauienſi filius Ciuis, qui Cudnik

nik cognominabatur, auidius album panem deglutiendo, suffocatus & in ipso mortis puncto constitutus erat. Mœsti parentes quamprimùm pro illo voto se obstrinxerunt, frustum panis conglobati ex infantis gutture prosiluit, & vitam illi reddidit.

Anno eodem Puer Magdalenæ Bugzelka ex Arenæ vico, fletu nimio prægrauatus, ad extrema deuenit, anhelitu per dimidiam horam obstructo. Voto per matrem facto præsenti periculo mortis eliberatus est.

Anno 1538. Ioannis Balneatoris sub Castro Posnaniensi paruula filia, per limen portæ in terram corruens, ceruicem fregit. Parentes mortuam è terra subleuantes, flexis genibus, pluries diuini Corporis numen inuocantes, & vota ingeminantes, oscitantem filiam conspexerunt, quæ in fletum paulò post resoluta, ad vitam rediјt.

Anno 1596. Ioannes VVinkleri Ciuis Posnaniensis filius grauissima præuentus infirmitate, sensuum officio destitutus, in agone positus videbatur. Parentes ad voti pro illo suscipiendi remedium vnicum confugientes, vitæ paulo post restitutum viderunt.

Ioannem Adami Raszewski filium, equus calce in caput ita percussit, vt exanimis in terram concideret. Parentes, in Strzelno vbi casus eiusmodi accidit, votum pro illo fecerunt: Vix aliqua mora interposita, iuuenis ad se rediit, & illos ad promissionem adimplendam incitauit.

Anno Domini 1593. In oppido Naklensi quidam in Vigilia corporis CHRISTI, casu in foueam profundam aquis repletam cecidit. In suffocatione ipsa, memoriæ Corporis CHRISTI recordatus, per integram horam submersus, diuina virtute, è profundo ad marginem foueæ eiectus, mortem euasit.

Eodem anno, puer in oppido Poiec mortuus, voto per parentes facto, reuixit.

Anno 1602. Dominica secunda post Pascha, Agnes Iacobi cingula conficientis in vico Sancti Ioannis vxor fœtum mortuum edidit. Obstetrix ad opem Diuinam confugiens, votum ad corporis CHRISTI Ecclesiam fecit. Post horam vnam & dimidiam, puer flere cœpit, & vitali aura potitus est. Parentes vota pro illo Domino persoluerunt.

Anno 1604. In oppido Mosinensi Iacobi Smolnik Agnes puella, lubrico carpenti casu præcipitata, per vnam horam mortua iacuit. Parentibus, per votum emissum, ad deuotissimam corporis CHRISTI Basilicam, confugientibus vitæ restituta est.

Dæmoniaci liberati.

CAPVT V.



MVlier ex oppido Gostin, Catharina nomine, per quinquennium, à Dæmone obsessa, pluries, vexatione cessante, ad diuersa pia loca, vota emisit, quibus cum nihil iuuaretur, vltimò ad corporis CHRISTI memoriam supplex confugit. Statim ab infestatione maligni Spiritus, immanis remansit.

Anno 1492. Quidam è Drzewno, cùm equis in campo pascendis inuigilaret, subito quodam terrore correptus à Dæmone se putabat obsessum. Quapropter vbi se Crucis signaculo minuisset, votum ad visitandam CHRISTI Corporis Ecclesiam emisit, & repentè Dæmoniacæ potestatis imaginatio, penitus abscessit.

In Zninensi oppido, cùm in Vigilia Assumptionis B. Mariæ non jeiunasset, à Dæmonio correptus, mirum in modum cruciabatur. Quodam tempore ab infestatione maligni spiritus liberior, votum ad corporis CHRISTI templum fecit, & in posterum nullam sensit amplius vexationem.

In Arnswald Saxoniæ vxor Anna cum viro ad rixas deueniens, eundem mille dæmonibus deuouit, quod adeò malus in ipsam esset. Id audiens nouerca, signo S. Crucis priuignum consignans, Deum orabat, vt eum ab eiusmodi imprecatione defenderet. Statimque maledictio illa, in ipsam vxorem conuersa mille dæmonibus obsessam, oculis omnium exposuit. Qui cùm illam crudelissimè vexarent, ita vt latratus canum & mugitus boum, non absque adstantium horrore, terribiliter ederet, & in terram proiecta vehementer concuteretur; à vicinis & propinquis, ad Ecclesiam Diui Iacobi, quæ in eodem erat oppido, votis cóceptis præsentata est: cumq; nullam vexationis intermissionem experiretur, ad visitandum eiusdem Apostoli gloriosum sepulchrum, voto se obstrin-

obstrinxit, quò cùm percunisset, liberata quidem est, quinque tamen obstinatiores maligni spiritus, se illam non relicturos vociferabantur nisi Posnaniæ in Ecclesia corporis CHRISTI: quod etiam subsequutum est, die Sancti Bonifacij in Vigilia corporis Domini, cùm pro Vesperis signum daretur, Anno Domini 1493.

Anno Domini 1512. Mulier obsessa à Dæmonio ad Ecclesiam gloriosi corporis CHRISTI adducta, post exorcismos adhibitos, ab infestatione maligni spiritus liberata; & in Vigilia S. Ioannnis Baptistæ exomologesi purgata, & sacra Synaxi munita, non amplius vexationem sensit.

Eodem Anno in festo Visitationis B. Mariæ, mulier alia, à Diabolica tyrannide, immunis facta est.

Anno Domini 1513. Dominica Rogationum puer Kiliani Ciuis Posnaniensis, chartam lusoriam sensim rodens, eandem deglutiuit, & obstructo gutture, per duas horas reportus est mortuus. Voto per matrem facto, reuixit puer, & cum oblatione ceræ templum cum parentibus adiuit.

In Podlachia in villa Mlinkowo, seruiebat apud rusticum puella qui erga eandem quadam de caussa excandescens, quæ tùm in ipso corporis Christi festo, in curandis pecoribus occupabatur, eam dæmonibus, vt ab illis obsideretur, deuouit: Imprecationem res ipsa statim subsequuta est, cæpitque recensere Dæmonum colloquia, qui cachinantes commemorabant, quem quis seduxisset. Inter quos vnus per eam vociferabatur; Voueas te Posnaniam ad paludes, & ad Lubusch. Id vbi hospita, quæ tum absens erat, intellexisset, insequenti die votum pro illa deuotissimè fecit, eoque dæmones illicò profligati abscesserunt. Parentes verò, eam à vexatione liberam, non adeo multo tempore interiecto, cum oblatione, in hoc sacro loco repræsentarunt.

Anno Domini 1531. Agnes in oppido Slupcensi, ex graui infirmitate vsum loquelæ amiserat. Paulo pòst in phrenesim incidens, hostis maligni terribili vexatione cruciabatur, adeò vt se ipsam, vestes proprias, & quos poterat, morsibus impeteret. Tandem vinculis constricta, & in custodia aliquamdiu asseruata, vbi votum pro illa per propinquos emissum est, sanitatem recuperauit: & personaliter ad locum hunc sacrum accedens, in festo Sancti Michaëlis, voto satisfecit.

Anno 1532. Sophia Czarnocka in oppido Srzoda, per menses quatuor obsessa, grauissimè torquebatur. Concionator publicè in Ecclesia, in modum crucis prostratam, orationi fidelium commendauit, & votum pro illa ad corporis CHRISTI Basilicam emisit. Ab eo tempore nullam sensit infestationem; & pedester feria quinta ante Dominicam passionis Ecclesiam accidens, votum adimpleuit.

Eodem Anno Heduigis è tractu Cuiauiensi, in graui morbo constituta, cœpit à Dæmone vexari, & omni ratione destitui. Vir eius votum pro illa emisit, pedestri itinere Basilicam corporis CHRISTI Posnaniæ visitandi. Statim ad se redijt, & incolumis Dominica Tertia post Pascha, votum adimpleuit.

Puella quædam in oppido Grodziscensi, per dies aliquot spectris dæmoniorum mirum in modum exagitabatur. Ad votum patris pro illa factum, sensit se liberatam.

Bartholomæus Sliwka Scultetus de Brusshowo post imprecationes Dæmoniorum ab irata vxore in se coniectas, garritum crocitantis corui ad fenestram statim audiuit, cumque tremores, dolorem capitis, & per totum corpus horrorem, & debilitatem ingentem persentisceret, inclamauit; Iesu Nazarene Rex Iudæorum, miserere mei, & in genua procumbens, votum ad sacrum hunc corporis Christi locum concepit. Sensit illicò se ab impetitione maligni spiritus liberatum, & confessione proprio parocho absque dilatione facta, veniens Posnaniam promissioni factæ satisfecit, in octaua Ascensionis Domini, Anno 1551.

Catharina ex Gostin per annos quinque fuit à Dæmonibus obsessa: cumque à vexationibus illorum quandoque relaxaretur, vota ad quædam loca sacra faciebat: neque tamen à Domino exaudiebatur. Ad extremum vbi Diuinitus inspirata, votum ad Ecclesiam Corporis Christi emisit, vidit se à tantis ærumnis liberatam.

Anno 1593. In oppido Znenensi, quidam ex contemptu Vigiliam Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ neglexit ieiunare. Protinus à Diabolo arreptus, meritas impietatis pœnas dabat. Ad se postmodum reuersus, & pœnitentia ductus, statim, vt se voto adeundi Corporis Christi Ecclesiam obstrinxit, à vexatione liberatus est.

A pe-

A periculo mortis erepti.

CAPVT VI.

ANNO Domini, 1494. Crudelissima Scytharum seu Tartarorum gens, inter festum Assumptionis & Natiuitatis Beatissimæ Virginis Matris Mariæ, in terras Russiæ irruptionem fecit, ferro & flammis longè lateq; omnia deuastans, senes trucidauit (quod in more habet) pueros palis infixit, virgines violauit, iuuenes in captiuitatem miserabilem abduxit. In tam inopinata clade, domum quoque Nobilis cuiusdam Ioannis, qui possessiones non mediocres habebat, ipso ferè diluculo inuasit, qui è lecto se proripiens, seminudus, per abditos recessus, profugiens, in arundinetis Nestri fluminis, quem Tyram veteres nominant, per biduum latitabat. Voto ad Basilicam Christi corporis per illum emisso, barbara gens, hinc inde dispersa, ad bona sua redeundi potestatem illi fecit: qui beneficij accepti, & salutis Diuinitus oblatæ memor, nulla longinqui itineris habita ratione Posnaniam veniens, in ipsa gloriosi corporis Christi solennitate, vota sua Domino, in Ecclesia Carmelitarum debitè persoluit.

In Ciuitate Culmensi captiuus quidam, in profundum altissimæ turris coniectus, & catenis ferreis constrictus arctissima custodia claudebatur. Qui videns se in maximis angustijs constitutum, ad auxilium Diuini numinis, per orationes deuotas, supplex confugit; nec id quidem frustra. Nam cœlica quadam luce, tenebras turris fugante, vidit sacratissimam CHRISTI corporis hostiam, maxima luce circumfusam, sub ipso turris tecto, volitare & exeundi viam præmonstrare. Tam insigni spectaculo animatus, catenarum vincula contrectans, sensit eadem in modum ceræ dissolui; à quibus liberatus, per substructiones ligneas sensim ascendens, ex fœno & paleis, indusio & tunica, fune confecto, ex altiore fenestra se in terram dimisit; & catena; quam in testimonium miraculi secũ acceperat, præcinctus, Mariæburgam munitissimum Poloniæ Regis in Prussia castrum, peruenit. Et catenam quidem Præfectus arcis Chlebowski accepit, miraculi verò Corporis CHRISTI, ad quod se captiuus Posnaniam deuouerat, magnitu-

gnitudinem contempsit, dicens, vbique CHRISTI corpus haberi: Sed post aliquot annos, ob sacri huius loci, quem Deus specialibus illustrat miraculis vilipendium, cùm in grauissimum morbum incidisset, per fratres Carmelitas, qui Mariæburgum casu tunc aduenerant, sæpiùs visitatus monitus, vt animæ suæ consuleret, aure surda ista percipiens, absque Sacramentis Ecclesiasticis & peccatorum confessione, in terram corruens animam infelicem exhalauit.

Albertus villæ Kozyczno propè oppidum Sbaszin colonus, dum Tartari irruptione facta, circa Francofordiam prædas agerent, ab eis captus & in vincula coniectus, ni certam pecuniæ summam numeraret, quam non habebat, mortem exspectabat. Ad orationem & votum corporis Christi confugiens, vinculis per diuinum auxilium miraculosè solutis, per medium barbarorum transiens à nemine conspectus, vitæ periculum præsens euasit.

Ioannes Byalli Valachus, in Pokuíye per Tartaros captus, dum sociis capita præcidebantur, à quodam in simili periculo constituto, de voto ad Corporis Christi Capellam faciendo monitus, vnà cum eo, barbaris non aduertentibus, fuga salutem consequutus est.

In Prussia propè Mariæburgum, faber carpentarius in hospitio, cum quodam suspectæ probitatis viro, sedens, cæpit ab eo vexari: qui quamuis omnem rixarum occasionem studiosè deuitaret, iniuriosis tamen verbis prouocatus, ad arma confugit, & pluribus eum vulneribus affecit, ita vt de vita ipsius spes exigua conciperetur. Quamobrem comprehensus, & in arctissimum Mariæburgensem carcerem coniectus, sententiam mortis in horas exspectabat, cum illi per custodes carceris de vulnerati incolumitate nihil annunciaretur. Quoniam autem multorum sermonibus sæpius acceperat, miraculorum magnitudinem, quæ vouentibus ad Ecclesiam Corporis Christi Posnaniæ diuinitus exhibebantur, animo compunctus, promisit se locum hunc sacrum visitaturum si à præsenti calamitate liberaretur. Vidit statim album murem, quem Armenium vel Armellinum vulgo nominant, per murum turris ad certum locum ascendere, quem pro signo liberationis suæ arripiens, ferramentis ibidem repertis, murum perfringere cœpit, cuius lateres nullo propemodum labore ita dissiliebant, vt foramine, quod vel duas personas capere posset effracto, in terram desiliret. Et ad Parochum subitò accedens, illi miraculum suæ liberationis exposuit; ac per portam

Ciuita-

Ciuitatis, nemine ipſum agnoſcente, egreſſus euaſit. Et quamuis re comperta, magiſtratus, ad eum comprehendendum, miniſtros hinc inde direxiſſet nullum tamen impedimentum ſenſit, & Poſnaniam incolumis veniens, votum Domino reddidit.

In Bia aczyno, parentibus inſcijs, puer deperiit, per triennium non viſus. Tandem voto per genitores emiſſo, vt ſcire poſſent, quid cum illo ageretur, in quadam ſylua repertus eſt incolumis: qui narrauit ſe à caprea ſylueſtri nutritum & in ſinu eiuſdem nocte calefactum, vt nullam incommodum vnquam perſenſerit.

Quidam die Dominico, relligione poſthabita, in ſyluam profectus, arborem ſuccidere cœpit: cumque ob laſſitudinem cibum ſumeret, ſuperuenit puer quidam illi propinquitate coniunctus, qui cùm refectionem vnâ ſumens, in vicina arbore viſcum conſpexiſſet, iuſſu ruſtici aſcendit arborem, & decerpſit viſcum, ac in terram ſe demiſit. Interea pinus, quam ſuccidebat ruſticus in eam partem vbi puer ſtabat, inflexa, corruit, & puerum miſerabiliter oppreſſit. Ruſticus tanto caſu territus, vt extincti cadauer exrrahere poſſet, ad villam pro auxilio currere cœpit: cùm ſubitò quidam canes nigri velut in rabiem verſi, eum inuaſerunt. Ille ratus humani generis hoſtes diabolos adeſſe, prout aderant, Sanctæ Crucis ſignaculo ſe communiuit, & voto ſe ad corporis CHRISTI Eccleſiam adeundam obſtrinxit. Quo facto, ſtatim canes illi terribili latratu, in voces humanas mutato; niſi te, inquiunt, talibus armis protexiſſes, & animæ & corporis interitum incurriſſes: hoc dicto euanuerunt. Ille autem funere pueri, caſu fortuito vt dictum eſt extincti, procurato, Poſnaniam veniens, votum Domino perſoluit.

Eſt in Maſouia pagus Dambiez, quinque milliarum diſtantiæ remotus à VVarſauienſi ciuitate. Hic coloni cuiuſdam Nicolai puerulus, nomine Martinus, triennis, tempore meſſis ad extrema deuenit, vt mortuus iudicaretur. Voto tamen ad CHRISTI corporis Eccleſiam Poſnanienſem emiſſo, reuixit Anno 1492. Idem Anno inſequente, 1493. in puteum profundum, limo potius quam aquis ſcatétem, caſu prolapſus, & ex eodem pro mortuo extractus, voto per ſuos iterato, vitalem auram recuperauit.

Anno 1496. Matrona quædam Poſnanienſis, acum cum filo tenens in ore, manibus opere alio præpeditis, eandem imprudens deglutiuit. Vnde cruciatus immenſos perferebat, & cum præſens vitæ diſcrimen animo concepiſſet, ad illud auertendum, votum ad diuiniſſimum Chriſti cor-

sti corpus interposuit. Mirùm. Acus ex interioribus, ad palatum repentè prosilijt & filo annexo extracta, mulieri salutem peperit.

Anno 1503. Nobilis vir, Magnifici Lucæ Kurnicki Burgrabius, nomine Chamblan, cùm in expeditione aduersus Tartaros esset, innumera barbarorum multitudine circumdatus, de se iam actum videbat. Tandem cogitatione diuinitus immissa, de voto ad sacram CHRISTI corporis ædem faciendo, statim vt illud emisit, insigni miraculo, è manibus hostium se in tutò collocatum vidit: & gratiam seruatori Christo Posnaniæ referens, arma, quibus erat indutus & ballistam in sacello appendit.

Anno 1504. Gregorius Krupski nobilis Lithuanus, in bello Moscouitico cum alijs multis captus, & armis omnibus spoliatus, mortem sibi videns imminere, votum fecit, nudis pedibus se Basilicam CHRISTI corporis aditurum, si à præsenti periculo liberaretur. Adfuit statim diuinæ potentiæ præsidium. Nam è custodia elapsus, & sagittis impetitus, absque aliqua læsione fuga salutem consequutus, Posnaniam venit, & miraculum in se diuinitus ostensum promulgauit.

Eodem Anno, Mercator Posnaniensis, ex Nundinis Lublinensibus, absque comitatu, rediens, in latrones incidit: qui vitæ & mercium iacturam se incurrisse animaduertens, ad Diuinissimi Sacramenti vnicũ præsidium confugit, illudq́ue voto suscepto supplex implorauit. Mox miraculo singulari ex eorum manibus se proripuit; qui cùm fugientem sagittis persequerentur, nulla tamen eum attigit: & si aliqua eum tetigisset, Diuina virtute, ac si in lapidem adacta esset, absq; vllo damno resilijt. Sic seruatus, vota Domino cum gratiarum actione, Posnaniam reuersus, persoluit.

Piscatores tres in flumine artis suæ exercitio dediti, euersa nauicula, in extremo vitæ discrimine versabantur. Voto facto periculum euaserunt.

Stanislaus incola Tucholiensis oppidi, solitus bombarda feras insectari, quodam die Dominico, syluam ingressus, vidit gallum auritum, qui de arbore in arborem transiliens, conduxit eum ad locum, auijs & densissimis fruticibus refertum. Pluuia repentè oborta, arbori cuidam innixus obdormiuit: in somnis audiuit vocem sibi dicentem; Fac votum ad corporis CHRISTI Posnaniensem basilicam; & hodie

liberaberis

liberaberis à morte subitanea. Cumq; nihilominus somno propter lassitudinem detineretur, vbi eandem vocem repetitam sensit, expergefactus Diuinæ protectioni se commendans, votum eiusmodi emisit, animo secum reputans, se nemini vnquam nocuisse, nec inimicitijs cum aliquo implicari. Progressus paululum, in vrsum immanem & ferocissimum incidit, quem plumbea glande traiecit, & in terram prostrauit; cumque secundo ictui bombardam præparasset, casu rota eius laxata, globus dextræ manus digitum minorem illi abscidit, & pileum è capite deiecit ac dilacerauit. Ita duplici periculo, vna eademque die liberatus, Posnaniam venit, & seruatori suo, quæ vouerat, piè repræsentauit, Sabbatho infra octauas omnium Sanctorum Anno Domini 1530.

Anno Domini 1531. Mulier quædam cum duabus puellis, propter acquirendas indulgentias, pro festo Sancti Ioannis Baptistæ, Posnaniã pedestri itinere veniebat. Latro ex insidijs prosilijt illas spoliaturus & occisurus. Illæ postquam auxilium corporis CHRISTI inclamauerunt, latro nec gladium extrahere, nec verbum proloqui, aut aliquid damni inferre potuit. Sic incolumes manus illius euaserunt, & votum susceptum persoluerunt.

Anno 1538. Matrona nobilis Zawiszyna in itinere constituta, auriga ex equis desiliente, ab illis per loca confragosa, & paludes tracta fuit; & tandem curru excussa manum fregit, & cùm esset nonagenaria ferè mortua experta fuit, vt ne verbum proferre posset. Voto pro illa facto, sanitati pristinæ restituta est.

Anno 1550. Blasius molitor Gnesnensis, leui quadam de causa, ad instantiam Custodis Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, in carceris profundissimi fundum coniectus fuit; in quo cùm per obliuionem, per integram Hebdomadam, cibus & potus illi non subministraretur, vbi se morti proximum vidit, vouit se CHRISTI corporis Ecclesiam visitaturum, si è præsenti periculo liberaretur. Statim auram quandam grauissimam sensit, cuius afflatu mirificè se refectum & odore recreatum vidit. Eadem hora mulier quædam in eandem carceris custodiam immissa fuit; qua occasione, ipso misericordiam conclamante, à lictoribus extractus, & Iudici præsentatus, liber dimittitur, voti facti memor, gratias Christo Saluatori, veniens ad Ecclesiam Corporis CHRISTI perendie S. Ioannis Baptistæ, qui dies in feriam quartam inciderat, maxima cum deuotione, reddidit.

Anno 1597. Quidam Ioannes Bially ex Valachia oriundus, à prædonibus Pokutiensibus captus cum alijs compluribus, cùm eos capite plecti videret, eundem exitum sibi videns adesse, diuino quodam instinctu votum ad Capellam corporis CHRISTI fecit: & subito, quodam insigni miraculo percussorum manus effugit.

Eodem Anno, in villa Goslino, tribus milliaribus à Posnania distante, vxor Stanislai molitoris Papyraceam artem exercentis, dum circa malleos, materiam papyro conficiendo idoneam, tundentes minus cautè versaretur, veste ab eisdem attracta in alueatum incidit, vbi breuissimo temporis momento contorta manibus, pedibus contusis, ac ceruice iam in partem inflexa, dum vitalis auræ modicum adhuc superesset, votum subitò ad corporis CHRISTI Sacellum visitandum deuotè suscepit. Mirum dictu, statim rota molæ, & malleorum, quos propellebat, ictus substiterunt, & ipsa extracta, post aliquot dies, manuum & pedum integrum vsum, ac si nunquam hæ corporis partes confractæ fuissent, recepit; remanente nihilominus, ad tam insignis miraculi testimonium, ceruice inflexa: quæ tantum beneficium diuinæ potentiæ, Posnaniam veniens vbique prædicare non intermisit.

Cæci illuminati,

CAPVT VII.

ANNO Domini, 1492. Mercator quidam Silesius dum in oppido Sieprez districtus Plocensis versaretur, per quindecim Septimanas, cæcitate percussus, post impensas plurimas, in Medicos frustra collocatas, amicorum persuasus exhortatione, ad corporis CHRISTI voto facto, visum recuperauit.

Anno 1513. Duo viri per vnum Mensem, sensu visus priuati, voto facto, ex oculis eorum tanquam squamæ ceciderunt, & inregram videndi facultatem recuperarunt.

Iuuenis quidam Lencicienſis per hebdomadas aliquot cæcitate laborans, voto piè ad Corporis CHRISTI suscepto, lucem aspexit.

Anno Domini 1516. Catharina pistoris vxor, in platea, quæ Butelska dicitur, ciuitatis Posnaniensis maximo oculorum dolore prægrauata,

grauata, cùm in præsenti cæcitatis imminentis periculo versaretur, voto ad sacratissimum CHRISTI corpus emisso, primùm vnius oculi, demum oblatione facta, alterius quoque vsum recepit.

Anno Domini 1521. feria quinta in octaua corporis CHRISTI, coniunx sutoris Kozieł, votum pro filio, qui maximum oculorum dolorem patiebatur, emisit: & subitò cœcitatis periculo liberatus fuit.

Paulus acuum conficiendarum artifex multo tempore grauissimum oculorum dolorem perferebat; vxor itidem eius ardentissimo febris calore, consumebatur. Voto per eos suscepto, sanitatis optatæ donũ diuinitus sunt consequuti.

Sutor quidam Posnaniensis adeò laborabat ex oculis, vt cæcitatem breui sequuturam vehementer pertimesceret. Maxima igitur deuotione, voto ad Basilicam corporis CHRISTI emisso, Diuinam opem supplex implorauit: & statim ab imminente cæcitate liberatus est.

Nobilis matrona in Vislawieze, multo tempore visu caruit: quòd cùm diuinitus accedisse sibi persuaderet, assiduis orationibus ardenter ad Deum fusis, tandem vouit se corporis CHRISTI Ecclesiam, cum procuratione Sacrificij, visitaturam. Nec desiderio suo frustrata est. Nam restituto oculorum vsu, Anno 1531. ipso die corporis Christi, in facie Ecclesiæ, vota sua Domino cum gratiarum actione, & miraculi publicatione reddidit.

Ioannes ciuis cuiusdam Posnaniensis famulus, cæcitate percussus aliquamdiu fuerat. Considerans miserabilem vitæ suæ conditionem, Diuinum auxilium, per votum ad corporis Christi sacellum emissum, implorandum existimauit: mox vnius oculi vsum recepit, & Sabbatho ante Dominicam secundam post Trinitatis locum sacrum accedens, oblatione facta, piorum precibus se commendauit, vt alterius quoq; oculi illuminationem consequeretur; quod ipsum non post multum temporis, assequutus est.

Anno eodem 1531. Regina Sczepanowna, ex suburbano Posnaniensi, quod Arenaria dicitur, grauissimo oculorum dolore premebatur. Voto suscepto se liberatam vidit, & miraculum infra Octauas Natiuitatis B. Virginis publicè proclamari fecit.

Anno 1532. Vxor artificis Petri, per aliquot Hebdomadas vnius oculi cæcitatem perferebat. Cumque orationes publicas fieri procurasset, & oculos argenteos Ecclesiæ ex voto præsentasset, Domini-

ca ſecunda poſt Pentecoſten integrum viſus beneficium reportauit.

Stanislaus Vngarus pileorum parandorum artifex, è Turcica captiuitate elapſus, decimaoctaua die, Poſnaniã ad corporis Chriſti venit, vnius oculi iacturam paſſus. Proſtratus in faciem, Diuinam miſericordiam ſabbatho infra octauas corporis Chriſti, ſupplex implorabat, cum ſalutaris ſacrificij oblatione, per votum procuranda. Mox lachrymarum vi profluente, integram oculi ſanitatem conſequutus, Dominica ſequente, diuinæ gratiæ, quam expertus erat, benignitatem, populo denunciari fecit.

Stanislaus Ciuis Coſtinenſis, annis quatuor ſenſum viſus amiſerat; cumque in chirurgos fruſtrà multos ſumptus impendiſſet, voto emiſſo, iter pedibus peragens, illuminatus eſt, & in feſto corporis Chriſti Anno 1533. in templo cum gratiarum actione comparuit incolumis.

Generoſus Albertus Iarazevvski, Anno Domini 1536. in Hungariam veniens, carceri mancipatus fuit; vbi paralyſi & cœcitate percuſſus inſuper capitali penæ eſt adiudicatus. Voto ad vniuerſale Sacramentum in tanta miſeria, piè ſuſcepto, mirabiliter è carcere liberatus, à paralyſis morbo curatus & oculorum lumen recepit; & veniens ad Eccleſiam beneficium diuinitus illi collatum publicè recognouit.

Anno 1538. Heduigis Adami ſartoris vxor per tres Hebdomadas, vnius oculi vſum amiſerat; poſteaquam votum ad Eccleſiam Corporis Chriſti fecit, cum Miſſa & oblatione, ſtatim ſibi reſtitutum oculum ſenſit.

Anno Domini 1601. Felix colonus villæ Zebrzedziewo cum coniuge Barbara, filiolam habebant, Euſemiam biennio cæcam, pro qua iuuanda cum medicos per oppida varia pluries conſuluiſſent, nec vllam conſolationem reportaſſent, ad opem Diuinam in Eccleſiam corporis Chriſti conſequēdam ſe contulerunt: ac ita ſubitò illuminatam viderunt.

Anno 1604. Ioannes Szetlecki videndi facultatem ſibi ademptam ſentiens, huc votum emiſit, & exoptatam lucem aſpexit.



Puer-

Puerperæ in extremo diſcrimine ſaluatæ,

CAPVT VIII.

ANNO Domini 1493. Quædam mulier oppido Pbyedziski, quod milliaribus quatuor abeſt à Poſnania, tribus diebus integris partus maxima difficultate laborabat. Cuius mater, cùm pro eius liberatione, ad diuerſa loca ſacra nullo fructu vota ſuſcepiſſet; ſimul vt promiſit, ſe neque cibi neque potus aliquid ſumpturam, niſi Eccleſiam corporis Chriſti adiret, ibidemque Miſſam audiret; filia ſtatim incolumi prole edita, quinto poſt die, non abſque inſigni miraculo, vnà cum puero, pedeſtri itinere peracto, vnà cum matre, in Eccleſia comparens, Deo gratias perſoluit.

Coniunx Stanislai de Oſſowa coloni Szamotulcenſis Anna, per dies ferè quinque, cum ingenti cruciatu, partus anguſtijs detinebatur. Voto per eam ad CHRISTI corporis memoriam facto, puerum ſaluum enixa, ſe vidit reſtitutam.

Anno 1514. Nobilis quædam Domina, quatuor à Poſnania diſtans milliaribus, monſtrum cum duobus capitibus peperit. Exterrita, votum fecit. Puero in Sacellum corporis CHRISTI illato, naturalis in illo forma repente comparuit.

Anno 1531. Maritus pro vxore in partu ad extremum propè vitæ terminum, in ſuburbio S. adalberti, deducta, votum deuotè ſuſcipiens illicò prole incolumi, eandem rediuiuam conſpexit: & oblationem pro facultate repræſentauit.

Eodem Anno, Balthaſaris de Kundorff coniunx, magnis partus doloribus oppreſſa, vix extremum ſpiritum trahebat. Cui vir ex animo condolens, votum pro eius ſalute fecit, & quod magna fide petiuit, obtinere meruit.

Anno 1532. Martini Sartoris vxor in maiori platea, in partu ve-

 hementer

ementer periclitabátur. Voto per suos emisso, præsens vitæ discrimen euasit, & sanum puerum edidit.

Eodem Anno. Agnes VVildzianka Ciuis Posnaniæ in foro habitans in extremo partus periculo constituta, & spiritum vix trahens statim vt votum emisit, fœtum reddidit salua incolumem.

Quædam mulier in platea cerdonum, per hebdomadam integram partus difficultate miserè affligebatur, adeò vt de illa conclamatum planè fuerit. Voto piè suscepto, præter omnium exspectationem puerum enixa, sanitatem recuperauit: & miraculum diuinitus in se ostensum, Dominica in Passione Anno 1532. publicari curauit.

Coniunx Matthiæ cuiusdam in nouo aggere magnis vteri doloribus in partu conflictabatur. Statim vt sui votum pro ea cum oblatione fecerunt, feliciter edita prole sanata est.

Pellificis cuiusdam vxor, partus doloribus per tres horas grauissimè laborans, fœtum exanimem edidit. Pater spe in Dei misericordiæ collocata, in genua procumbens, votum emisit, illicò puer oscitauit, & spiritus vitales recepit: quod miraculum Dominica Rogationum, per concionatorem loci ex suggesto ad maiorem Dei gloriam populo frequenti denunciatum fuit, Anno Domini 1533.

Quædam matrona in oppido Gostin, in partu cùm agonizaret, maritus votum cum oblatione competenti Ecclesiæ repræsentanda emisit; & vxorem cum prole salua, saluam recepit eosq; in loco sacro die Sancti Ioannis venerabundus exhibuit.

Item alia mulier Adami de villa Gaij vxor, simili partus dolore detinebatur. Voto per maritum facto, quòd si coniunx superuiueret, genibus flexis reptantes Ecclesiam per circuitum visitarent, puerperæ præsenti periculo liberata, & prole incolumi aucta, votum cum marito eodem S. Ioannis Baptistæ festo persoluit.

Regina mulier Dicowna, in partu propemodum mortua videbatur. Voto per virum & astantes suscepto, periculo liberata, maritum prole lætificauit.

Anna

Anna Krolyczva in platea cerdonum, grauiſſimè in partu laborabat. Poſt votum per propinquos emiſſum, infantulum enixa, incolumis feria quinta ante feſtum S. Adalberti, Anno Domini 1535. in Eccleſia pro gratiarum actione comparuit.

Eodem Anno 1535. Vxor Iacobi Paczota, habitantis propè templū S. Martini, poſt quatuor partus ſuperioribus annis abortiuos, quinto partu inſtante, voto cum marito piè ſuſcepto, prolem incolumem, maxima conſolatione, in lucem, emiſit, vicinis vndiq; congratulantibus, quod eam Dominus poſt tot tribulationes conſolari dignatus eſt.

In villa Nyemiezyno, mulier ex partu laborans, fœtum inanimatum, ipſa etiam ferè exanimis, edidit. Maritus ad Dñum ſupplex in oratione confugiens, viuentem infantulum recepit; & votum adimpleuit, per biduum Eccleſiam cum deuotione frequentans, Anno 1544.

Mulier de Oſyeczno, in puerperio ad extrema propemodum deuenerat. Voto ad corporis CHRISTI Baſilicam emiſſo prolē ſaluā edidit.

Alia ſimiliter ex pago Gay grauiſſimè in partu periclitabatur. Adfuit ſupplicanti Diuina bonitas, & cum prole matrē ſeruauit. Anno 1550

Anno Domini 1597. In Kcino prope oppidum Zbalzin coloni Alberti coniunx, in partu laborans pro mortua plangebatur à mulieribus circumſtantibus. Maritus eiulans ad vicinum horreum, ſe contulit, & pro vxore moriente, qua maximè poterat deuotione, votum fecit. Reuerſus in eodem ſtatu vxorem reperit: nihilominus ſpe in DEI omnipotentis auxilio collocata, votum denuò repetiuit.

Conjunx oculos aperuit, & ſe leuari petiuit,
& ſubitò viuam filiam peperit.



Summa Priuilegij.

Cautum est Priuilegio S. R. Maiest. Poloniæ, ne quis Typographorum, Bibliopolarum, aliorumúe, qui librariam negotiationem exercent, libros nouos, quos Georgius Schönfels Typographus Brunsbergensis, primus in lucem ediderit, citrà eius voluntatē, quocunq; modo charactere, aut forma, edere aut venundare, intra Regni Dominiorumq; Poloniæ fines, &c. Audeat, sub pœna confiscationis librorum, & alijs: vti latiùs patet in litteris Maiest. Regiæ, datis Varsauiæ die IIX. *Augusti. Anno Domini M.D.C.*

BRVNSBERGÆ,
Apud Georgium Schönfels.
Anno Domini 1609.

Summa Privilegij.

[illegible] Poloniæ, ne quis [illegible] qui te- [illegible] libros meos, quos [illegible] Typographus Brunsbergensis pre- [illegible] Poloniæ fines, &c. Au- [illegible] librorum, & aliis [illegible] Regia, datū Varsauiæ die [illegible] Augusti, Anno Domini M.D.C.

[illegible]

Konserwację przeprowadzono w roku 1977
w Pracowni Konserwatorskiej BJ.
Restaurację papieru wykonała
p. Anna Sieramięta, szycie i oprawę –
p. Katarzyna Mazurkiewicz.
Dawną oprawę papierową usunięto.

Kr. 23. 12. 1977 MM.

